REGVLAE OFFICIALIVM

Congregationis Reformatæ Monachorum

S. BERNARDI

Ord. Cistercien.

Romæ, Ex Typographia Tinassij 1671.

SVPERIORVM PERMISSV.

De Abbate Generali.

1 ABbas Generalis pręter ea, quæ in Conſtitutionibus expreſſa sũt, poteſt etiam in quocumque ſolemni actu Miſſarum, & Diuinorum Officiorum vti Mitra, Annulo, & Baculo paſtorali, alijſque Pontificalibus inſignijs &c. ex conceſſione Pauli Quinti noſtræ Congregationi facta per Breue ſub dat. Romæ apud S. Marcum die 6. Auguſti 1611.

2 Poteſt conſecrare Altaria, vaſa ſacra, & campanas, nec non benedicere Eccleſias (non tamen illas conſecrare) paramenta, & cętera ad vſum Altarium, & Sacerdotum per conceſſionem factam Caſſinenſibus, & demum primam tonſuram, & quatuor minores ordines noſtræ Congregationis Monachis conferre iuxta prælibatum Breue Pauli Papæ Quinti.

3 Dum actu Congregationem viſitat, ſi contingat extra Vrbem vel mori,

vel infirmari, aut alio pacto impediri socium Assistentem, poterit sibi assumere in socium visitationis aliquem alium ex Patribus qui Superioritatis titulo, vel gaudeat, vel per triennium gauisus sit, & eius consilio, seu assensu vti in ordinandis rebus quibuscumque, atque etiam in electionibus, si quæ eo tempore faciendæ occurrerint.

4 Præfatum socium in locum Assistentis assumptum poterit mutare pro suo arbitrio iuxta locorum visitandorum opportunitatem; Si tamẽ assumptus alicuius Monasterij actu Superior fuerit, eum non relinquet, sed vsque ad visitationis finem eo semper vtatur. Socius porrò huiusmodi toto tempore, quo Abbatem Generalem associatur, omnes Superiores locales præcedat.

5 Vbi Abbas Generalis in grauioribus rebus decernendis viciniorum Monasteriorum Superioribus opus habuerit, si forte aliorum Monasteriorum Superiores præsentes sint, poterit eorum voto vti alijs non vocatis, & eodem

em modo vtatur proprij Secretarij assensu, seù consilio, si Prior titularis fuerit. Quòd si plures, quàm duo præsentes fuerint, eorum consensus requiratur, qui professione præcedunt.

6 Alternatiua Abbatis Generalis seruanda erit in vnoquoque Capitulo Generali, dummodo tamen electio post medietatem triennij absolutam fiat: quod si ante id tempus facienda venerit, eligatur Abbas Generalis ex professis illius Prouinciæ, cuius erat defunctus.

7 Si dum actu Congregationem visitat, contigerit aliquem ex Superioribus maioribus, qui à toto Capituli Generalis cætu eliguntur, mori, aut inhabilem fieri, Abbas Generalis alium in eius locum eligat, vocatis iuxta constitutiones vocandis, dummodo vltra duas dietas non distent: quod si distauerint, electionem huiusmodi faciat, vt supra numero 5.

8 Abbas Generalis ab officio Generalatus absolutus toto tempore quo à superioritate vacabit, titulo Abbatis

ſemper gaudebit, ſubditus, nihilominus Priori ſuo. Capitulum culparum non adibit, nec publicis correctionibus ſubiacebit, ſed ſi corrigendus ſit, id ſumma reuerentia à Superiore priuatim fiet. Ab officijs regularibus, quæ vel per hebdomadam diſponuntur, vel alijs omnibus per vices imponuntur, immunis ſit, & vbique locorum poſt Superiorem localem immediatè cœteros omnes etiam Suppriores præcedat.

9 Cum verò localis Superior longo tempore abſuturus è Monaſterio erit, vt tempore Capituli Generalis ſit, vel cum in ſociũ viſitationis aſſumitur, aut aliter extra Monaſterium propter graue aliquod negotium, quod ſibi, vel à Superioribus iniunctum fuerit, vel à ſuo Capitulo commiſſum per menſem ſaltem commoratus ſit, tunc Abbas huiuſmodi titularis Suppriori vbique locum cedet.

10 Capitulum Generale, niſi electus diſcretus ſit, vel ab Abbate Generali vocatus non adeat; Si tamen in eo

vo-

vocalis fuerit poſt abſolutionem Officialium ſi diſcretus ſit ſuper omnes diſcretos, ſi Superior ante omnes Superiores, poſt ſcilicet definitores, & Abbate Generali electo, ſuper omnes Capitulares. Cum plures huiuſmodi titulares vel in Capitulo Generali, vel alibi fuerint, inter ſeſe iuxta profeſſionis antiquitatem locum teneant.

11 Sigillum peculiare ad firmandas Epiſtolas huiuſmodi Abbati titulari conceditur localium Superiorum ſigillo ſimile, addita tamen in eius ſummitate ſola mitra, & cum hac inſcriptione *Sigillum Abbatis titularis*. Eius porrò Epiſtolæ non videantur, nec aperiantur niſi ab ipſis, ad quos mittuntur.

12 Duo Abbates hoc modo titulares in eodem Monaſterio non commorentur, nec eiſdem niſi ab ipſo Abbate Generali, aut de eiuſdem conſenſu Monaſteria aſſignentur: ſi tamen ipſi ita petierint, conceſſum ſit Prouincialibus, vt alibi tranſmigrandi poteſtatem eis faciant.

De Officio Vicarij Generalis.

VIcarius Generalis in hac Congregatione bifariè constituitur, aut enim ab ipso Abbate Generali ad Visitationem proficiscente ex vocatorum numero pro suo arbitrio electus Romæ relinquitur, aut eidem Abbati Generali defuncto, vel inhabili facto ipso iure succedit. Vicario Generali priori modo delecto nullam aliam seù iurisdictionem, seù potestatem competere declaramus, quàm eam, quæ eidem in patentalibus litteris ab eodem Abbate Generali concessa fuerit. Is post Abbatis Generalis discessum ab Vrbe super omnes, & quoscumque Superiores etiam maiores vbique locorum stet, & sedeat, illique singuli eodem iure subdantur, quo subduntur Abbati Generali. Quapropter eo præsente tàm in Choro, quàm alibi nullus alius seù benedicat, seù signa faciat, & ab eo egressurus quisque, vel ingressurus Monasterium benedictionem accipiat.

2 Romæ ſemper reſideat, nec ab ea longiùs quàm triginta milliariorum itinere abeſſe valeat. Pontificalia nullo modo exerceat, & Abbate Generali intrà Prouinciæ Romanæ fines conſiſtente, nec poſtulãtes ad habitum, nec Nouitios ad Profeſſionem admittat, nulloque ſeù tempore, ſeù modo ſuperiores quoſcumque ſiuè crimen, cui depoſitionis pœna conſtituta ſit, commiſerint, ſiuè ſpontè officijs ſuis renunciauerint, niſi aliter demandatum fuerit, aut deponat, aut exoneret.

3 In ijs, quæ ad Prouincialem pertinent, omninò non ſe intromittat, aut ingerat, cauſaſque ab eo incœptas, vel incipiendas ſiuè ciuiles ſint, ſiuè criminales non interrumpat, aut perturbet, niſi fortè appellatio fuerit interpoſita, caueatq; omninò, ne Prouincialis munus, & officium ſibi vendicet.

4 Quæ iuxtà Conſtitutiones ab Abbate Generali, niſi de conſenſu, vel Conſilio non definiuntur, Conſiliariorum ſibi ab eodem Abbate Generali de-

deputandorum, si quæ ab eo definienda erunt, consilio respectiuè, seù assensu vtatur.

5 Aliquem sibi ex Monasterij Vocalibus in Secretarium constituat, cuius operam in scribendis litteris, adnotandisque in peculiari libro grauioribus rebus, quæ fortè ab ipso toto sui Vicariatus tempore de suorum deputatorum vel consensu gesta fuerint, adhibeat, eumque librum Abbati Generali Romam reuerso consignet.

6 Vicario Generali secundo modo, & ab ipso iure electo omnis iurisdictio, & potestas in vniuersam Congregationem, eiusque Monasteria, atque personas attributa censeatur, ijsque priuilegijs, prærogatiuis, cæterisque omnibus, gaudeat, & fruatur, quibus Abbates Generales gaudent, & fruuntur.

7 Si ante Capitulum contingat vel ipsum mori, vel iuxtà Constitutiones inhabilem fieri, eidem in eodem officio Assistens nouiter electus, qui ex eadem Prouincia sit eodem modo succedat;

sit-

ſitque regula generalis, quod quoties Vicarius Generalis vel moritur, vel ab officio ceſſat, in eius locum ſuffectus Aſſiſtens ſubintret.

8 Abbate Generali extrà Vrbem è vita erepto, ſi comes Aſſiſtens ex eadem fuerit Prouincia ſub titulo Vicarij Generalis vt ſupra cum eodem Secretario, & ſocio pleno iure, electo ſibi prius de Superioris Monaſterij, & aliorum duorum vel præſentium, vel ex vicinioribus Monaſterijs vocandorum Superiorum voto, Seniore Aſſiſtente viſitationem proſequatur. Si verò comes Aſſiſtens caſu prędicto occurrente ex aliena Prouincia extiterit, is eodem quo ſupra modo, & nulla interpoſita mora cum eiſdē Secretario, & Socio ſolis incœptam viſitationem ſub nomine Commiſſarij Generalis perficiat, & abſoluat, niſi aliter ſibi à Vicario Generali, quem per litteras Abbatis Generalis obitum quàm citiſſimè docebit, imperatum fuerit.

9 Si occurrat Vicarium Generalem

Ro-

Romæ relictum ex alterius Prouinciæ professis assumptum fuisse, obitu Abbatis Generalis intellecto, eius auctoritas, & officium cesset illicò, & in eius locum is statim succedat, cui iuxtà constitutiones toti Congregationi præesse committitur.

De Officio Consultorum Abbatis Generalis.

1 CONsiliarios, seù Consultores Constitutiones nostræ Abbati Generali duos Assistentes, & Procuratorem Generalem viros tres Congregationis primarios, & ad omne grauius negotium ritè discutiendum prudẽtes, peritiaque plusquam mediocriter instructos assignant.

2 Cum ij ab Abbate Generali pro re quacumque vocantur, relictis omnibus promptissimè accurrant, & postquã negotium, pro quo excutiendo vocati sunt, palam sibi propositum fuerit, eorum quisque eo ordine, quo interroga-

ur summa vultuum modestia, animi cã-
ctore, & qua valet iudicij perspicuitate
breuiter, clarè, & grauiter in qua sen-
tentia sit, respondeat. Interroget autem
Abbas Generalis primò Procuratorem
Generalem, & alios deinde sursum pro-
grediendo:

3 Sententiam suam dicturi caput
discooperiant, & antequam verba pro-
ferant, versùs interrogantem inclinent,
nec caput operiant, cum loquuntur, nisi
aliter sibi fuerit iniunctum. Manus nõ
agitent, sed ijs intrà manicas cucullæ
modestè compositis, singularem mode-
stiam, & grauitatem tàm in dicendo,
quàm in audiendo præseferant. Cùm
autem id, quod sibi benè visum fuerit,
dixerint, inclinent iterum, vt suprà, ca-
put operiant, & nihil ampliùs addant,
nisi denuò interrogentur.

4 Cùm eorum alter, quicumque
ille sit, loquitur, cæteri nihil omninò in-
ter sese mussitent, sed summa cum at-
tentione, & silentio loquentem auscul-
tent, nec interrumpant, nisi habita priùs
ab

ab Abbate Generali licentia. Si quod dictum est non placet, nullum nec motu, nec gestu, nec voce displicentiæ proferant signum; & sententia ab vnoquoque prolata, omnes æquo animo opiniones suas Abbatis Generalis iudicio submittant, præsertim verò cum consilium ab eo petitur, non autem consensum.

5 Si quid proponitur, quod eorum consensum requirat, agant se eodem modo, quo suprà, & si res ad calculos exponenda fuerit, eosdem Procurator Generalis distribuat. vrnis excipiat, extrahat, & exhibeat palam, sic, vt pateat omnibus, an negotium conclusum, vel exclusum fuerit.

6 Dum consessus agitur, eorum nullus nec negotium sibi fortè commissum, nec litteras, aut sibi conscriptas, aut ad Consiliarios generatim directas vel præsentet, vel legat; sed id omne Abbati Generali, antequàm conueniant, priuatim consignetur. Eodem prorsùs modo, si quid ab eis pro quocum-

cumque petendum erit, id faciant, non in conſeſſu, ſed vel poſt ipſum, vel anteà, tempore ſcilicet, quo ſolus cum ſolo perloqui liceat.

7 Abbatem Generalem ſummo ſtudio, parique veneratione honorent, ſintque illi, præterquam in proferendis ſententijs, eodem modo ſubiecti, quo reliqui Congregationis Superiores, quibus ipſi tùm reuerentiæ, tùm ſubiectionis erga eundem exemplo præeſſe, tenentur.

8 In procurandis apud Romanam Curiam rebus tàm ad totam Congregationem, quàm ad quamlibet Congregationis perſonam ſpectantibus Procurator Generalis Abbati Generali omninò ſubditus ſit, nec ſe in eis obtinendis implicet, niſi priùs conſtet ſibi, quid in ea re eidem Abbati Generali placeat, & ſine eius conſenſu nihil omninò agat.

9 Abbate Generali abſente, vbi tam præfatos Patres, quam Prouinciales, & Viſitatores in locis Regularibus adeſſe contigerit, coram eo, qui inter

ipſos

ipsos præsidet, cœteri omnes tam in Refectorio, quam in Choro, si negligentes fuerint, satisfaciant, accipiantque ab eodem post completorium aquam benedictam.

10 De Visitatoribus, cum eorum munus separatim alibi descriptum sit, nihil dicendum remanet, & de hoc solū ipsos admonemus, ne in gubernatione Monasterij eorum residentiæ, vllo modo se intromittant, nec ab ijsdem Monasterijs, nisi quatenus ab Abbate Generali licentiam expressam habeat, vltrà quintum diem absint.

De Officio Prouincialis.

1 PRouincialis quisque eadem iurisdictione, & authoritate in sua Prouincia fruatur, qua Abbas Generalis in totam Congregationem gaudet. Subsint igitur Prouincialibus omnes Prouinciæ Abbates, Priores, & Superiores immediatè, & mediatè eiusdem Prouinciæ singuli Monachi, & Fratres,

& eos omnes tàm in actu visitationis, quàm extra corrigendi, admonendi, & puniendi, cum opus fuerit, ijsdem Prouincialibus summa potestas sit, Superiores quidem per seipsos, & subditos, ac inferiores per Superiores suos.

2 Cum quis tamen inferiorum coram Prouincialibus quocumque modo, & in quamcumque Constitutionem deliquerit, & immediatus Superior præsens in loco non fuerit, licebit eis non solùm verbis (quod vtique omni tempore, & omni loco ab eis præstandum erit) sed etiam pœna in Constitutionibus statuta peccantem coërcere, & illis ab omnibus omninò obediatur.

3 Nullam in Monasteriorum rebus administrandis, aut disponendis per seipsos iurisditionem, neque in actu visitationis, habeant; sed si quid ad bonum Monasteriorum regimen, aut commodum faciendum videbitur, id Superioribus ipsis agendum iniungant, quibus illi obediant.

4 Cum aliqua rè, siue ad victum, si-

ue ad vestitum pertinente Prouinciali opus fuerit, id à Superiore vel per seipsum, vel per Cellerarium, aut alium petat: Superior autem eam rem quàm citissimè tradendam curet. Leuiora nihilominus, & quæ passim occurrunt, vt exempli gratia, alicui amico, aut benefactori scyphum vini tradere, & similia, fas illi sit, nullo etiam cum Superiore facto verbo, & Ministri inferiores in eiusmodi leuiusculis rebus præstò esse illi teneantur.

5 Extraneos si in hospitium ad comessationem aliquando inuitandos putet, quod quam rarissimè fiat, & nunquam sine graui causa, priùs admoneat, vt supra, per se, aut per alium Monasterij Superiorem, & eidem indicet hospitis qualitates, & merita, vt pro ratione personæ necessaria parari possint.

6 Prouinciales, nisi Officij sui munere exercendo alio occupati sint, tam in Choro, quàm Refectorio cum cęteris semper adesse teneantur, & ad id non minùs adstricti, quàm cęteri omnes. Cu-

rent

rent autem, vt quatenus ſingulis præſunt, ſic omnibus bono exéplo proſint.

7 In ſcribendis litteris Secretario vtantur, quem ſibi ex Vocalibus elegerint: & quantum fieri poterit, ex prouectæ ætatis, & Religionis probatioribus. Caueant tamen cum ad Superiores Monaſteriorum aliquid minus placitum ſcribendum erit, ne plus alieno calamo, quam ſua reprehenſione animos offendant; quare cum quis Superiorum obiurgãdus, aut reprehendendus erit, id Prouincialis per ſeipsũ, quantum licuerit, & non per Secretarium faciat.

8 Alienis oculis, atque de aliorum factis, & dictis facilè ſcribentibus non credat, ſed antequam quidpiam innouet ſumma prudentia vtatur, examinetque priùs quos, & quales relatores habeat, & quam fidem ſibi merentur, an zelo publici boni moueantur, aut paſſione, vel fortè priuatæ iniuriæ vindicta: qui ſint, quorum vita cenſura notatur, præſertim verò ſi Superiores fue-

rint, quorum virtus sæpè maleuolis in vitium vertitur.

9 Curent, vt pax summa in tota Prouincia seruetur, & præsertim inter Superiores, & subditos, studeantque maximè, vt in Monasterijs eorum residentiæ nulla inter ipsos, & eorumdem Monasteriorum Superiores dissidia oriantur, & si aliquando præfati Superiores admonendi, aut obiurgandi fuerint, id priuatim exhibeant, & nunquam coram subditis.

10 Alternis saltem hebdomadis Abbatem Generalem de rebus suarum Prouinciarum certiorem faciant, scribantque ad eum quicquid grauiùs per ipsos actum, ordinatum, constitutum, & iudicatum fuerit, quicquid vel boni, vel mali graue acciderit; & quomodo sese gerant Superiores in Monasteriorum administratione, in promouenda Regulari obseruantia, ac in omni suorum munerum parte.

11 Caueant, ne quid sine consilio, aut consensu suorum Consiliariorum

iuxta, & ad Constitutionum præscriptum omninò agant, aut intentent. In ijs, quæ Abbatem Generalem spectant, & ab eodem de suorum consensu terminantur, nullo modo sese ingerant: quæ autem de suorum consilio dumtaxat expediuntur, ipsi, nisi suorum adhibito consilio non expediant.

12 Semel in vnoquoque Triennio, hoc est primo suorũ officiorum anno, nisi aliter Abbati Generali de suorum consensu visum fuerit, Prouincias suas summa authoritate visitent. Si autem post completam visitationem sit aliqua grauis necessitas vrgeat, vt peculiare aliquod Monasterium iterum visitetur, id sit illis permissum, habito tamen prius suorum Consiliariorum consensu.

13 Liceat illis casus, qui Abbati Generali reseruati non sunt, sibi de suorum consilio reseruare. Caueant tamen ne in aliquo contra Decretum fel. rec. Clementis Papæ VIII. peccent.

14 Abbatis Generalis ordinationibus, mandatis, Decretis obsequentis-

ſimi ſint, eidem aduerſari, aut contradicere nefas omninò putant, illiſque ſummo ſtudio obediant.

14 Cum ad viſitanda cuiuſque Prouinciæ remotiora Monaſteria proficiſcuntur, poſſint, ſi viſum fuerit, Vicarium, vel Priorem propriæ reſidentiæ, vel alium quempiam, qui munere Prioris, vel fungatur, vel ſaltem functus ſit, relinquere conceſſa eidem facultate vel in toto, vel in parte ea agendi, quæ ipſimet, ſi præſentes eſſent, exequerentur. Vicarij autem huiuſmodi ceſſabit iuriſdictio, & nomen ipſum, ſtatim ac Prouincialis ipſe in Monaſterio propriæ reſidentiæ præſens erit.

16 Codicem vnum habeant, in quo ea omnia, quæ grauiora ſibi, & de conſenſu, ſeù conſilio Conſiliariorum ſuorum determinanda occurrunt, vt ſunt poſtulantium ad habitum, Nouitiorum ad profeſſionem admiſſiones; Monachorum ab vno ad aliud Monaſterium tranſmigrationes, promouendorum ad Ordines conceſſiones, prædi-

can-

candi verbi Dei, & audiendi sacramentaliter pęnitentes licentiæ, à Regularibus disciplinis, quæ ad longum conceduntur tempus, dispensationes, Monasteriorum pro studijs, & ipsorum studentium deputationes, & demum incipiendorum processuum habitæ consultationes, describi curent.

17 A frequenti fratrum mutatione omninò abstineant, in idque sine graui causa non consentiant, & nunquam, nisi post annum residentiæ. Superiores à suis Monasterijs sæpè abesse, nisi cogente negotio, non permittant. Extrà propriæ Prouinciæ terminos nemini, nec Superioribus, nec inferioribus, Abbate Generali inconsulto, proficiscendi licentiam impertiant.

18 Nouitiatuum, Professoriorum, & studiorum Monasteria summè illis commendata sint, curentque, vt in illis præcipuè Regularis Obseruantia omninò floreat, inuigilentque, vt Nouitij in cantu Gregoriano, & Ecclesiasticis cęremonijs sedulò exerceantur, vt nouiter

Professi præter eumdem cantum, & easdem ceremonias, latinam linguam optimè ediscant, & vt ad studia Philosophiæ, & Sacræ Theologiæ destinati toto conatu eisdem studijs, & sine aliquo impedimento incumbant.

19 Vnionem Monasteriorum pro eligendis Discretis suo tempore faciāt, & maturè cum schedulis ad quemque Monasteria transmittant, eodem die publicandam, quo Capituli Generalis intimatio publicatur. Vocalium tamen schedulæ ad quosque Superiores missæ Vocalibus nō dispensentur, nisi eodem die, quo facienda erit electio, & in ipso Capitulo.

De Officio Superiorum localium.

1 Cviusque Monasterij Superior talis esse studeat, qualis à Diuo Benedicto in sua Regula describitur. Det operam primò vt authoritatem ad suum munus ritè peragendum necessariam semper retineat, non insolentia,

aut superbia, sed grauitate religiosa cum modestia, suauitate, ac mansuetudine coniuncta, qua scilicet animos, & voluntates subditorum ità sibi conciliabit, quòd promptiores, & alacriores ad sibi obediendum excitabit, & faciet.

2 In bonos Patrem se ostendat, in malos Iudicem, in sanos Pastorem, in ægros pijssimam Matrem, & in omnes virtutibus magis, quàm potestate Superiorem. Misceat, vt loquitur Regula, temporibus tempora, terroribus blandimenta, flagellis misericordiam, Prosit cunctis, nemini noceat, & suos tùm verbis, tùm exemplo pascat, vtque animas sibi commendatas saluet, non qualemcumque, sed omnem adhibeat diligentiam.

3 In dispensandis fratribus nec multum facilis sit, nec adeò difficilis, vt pietatem in rigorem conuertat, caueatque, ne vltra sibi concessam potestatem, exemptiones, & dispensationes, vel perpetuas, vel ad longum tempus duraturas impertiat.

Sup-

4 Suppriorem ſibi, ac Cellerarium, cęteroſque ſui Monaſterij Officiales ex probatioribus, & ſibi benè notis de ſeniorum conſilio eligat, & quommodò quiſque illorum in ſuo officio, & adminiſtratione ſe agat, qua ſcilicet diſciplina, quo religionis zelo, qua morum modeſtia tàm extra, quàm intra Monaſterium, præſertim verò Cellerarius ſibi commendata gerant, & vbi opus fuerit vel admoneat, vel redarguat, vel caſtiget.

5 Principalis curæ ei ſit, vt in celebrandis Officijs, & Miſsis, in ſeruandis feſtis, in procurandis Sacriſtiæ rebus, in pulſandis ſuo tempore, & ritu Campanis, inquè cęteris omnibus ad Diuinum cultum pertinentibus ita eius religio, zelus, & ſtudium diligens appareat, vt tàm ſuis, quam exteris ſummæ ædificationis ſit; Cumque in huiuſmodi rebus ab aliquo vel leuiter peccare cognouerit; impunè non ferat; pęnæ tamen, & publicæ correctioni paternam admonitionem pręmittat.

Mo-

6 Monaſterij omnium rerum deſcripta ſeparatim habeat inuentaria, eã ſæpiùs reuoluat, & cum antiquis conferat: ſi quid perditum eſt, recognoſcat, ſi quid noui acceſſerit, ſedulò adiungat. Quomodo vnaquæque Monaſterij res tàm in Sacrario, Eccleſia, Choro, quam in aliis officinis, & vbique locorum ſanctè conſeruetur, cautè cuſtodiatur, rectè adminiſtretur, diligenter inquirat.

7 Præcipuo ſtudio exquirat, an omnes ſibi ſubditi ad Conſtitutionum pręſcriptum Sacramentaliter confiteantur, an ſuis temporibus communicent, an Sacerdotes quotidiè celebrent, & quã diligentiam ad ſacras huiuſmodi res peragendas adhibeant, quo ſcilicet feruore, aut quo languore.

8 Bis in anno, hoc eſt ſtatim poſt Quinquageſimã, & ante feſtum Exaltationis Sanctæ Crucis iubeat trigeſimum octauum caput Conſtitutionum publicè recitari, & ſuos ad confeſſionem peccatorum generalem non ſolum hortetur, ſed & ſtimulet, atque impellat, iiſdem-

que

que temporibus iniungat suis, vt exercitijs spiritualibus operam dent.

9 Nemini licentiam prodeundi è Monasterio aut facilè, aut sine iusta causa concedat, & cum alicui huiusmodi facultatem permittit, quærat ex eo quonam iturus sit, & quid negotij habeat, omniq; sagacitate expendat, num aliquid mali in ea postulatione latere possit, & tunc vel licentiam deneget, vel fidum comitem adiungat. Vt autem omnem ansam, & occasionem prodeundi suis præcidat, non patiatur eos vllum negotium, aut vllius rei procurationem pro quacumque persona suscipere, nisi fortè sic grauis aliqua causa exigat, & vim afferre quodammodo videatur.

10 Ipse etiam quam rarissimè exeat è Monasterio, præsertim verò diebus festiuis, ne fortè propter illius absentiam cultus diei festo debitus minuatur. Cum longiùs è Monasterio abibit, caueat, ne diebus solemnioribus, hoc est, Natiuitatis Domini, Paschæ, Pen-

te-

tecostes, Corporis Christi, Assumptionis, & Natiuitatis Beatę Virginis, SS. Patrum Nostrorũ Benedicti, & Bernardi, Titularis Ecclesiæ, omnium Sanctorum. Hebdomadæ Sanctæ, aliorumque similium, è Monasterio absens sit, & quam diligentissimè curet, vt in omni primæ classis festo, atque etiam alijs, quibus in Ecclesia sua magnus fiet concursus, nullus suorum, neque ipsemet ad alienas Ecclesias celebraturi accedant, aut longiùs abeant.

11. Cùm suorum aliquis ad aliud Monasterium est migraturus, quæ ad illud iter necessaria esse viderit, ei benignè suppeditet, nihilque non necessarium quamuis à pijs hominibus, aut cõsanguineis datum auferri patiatur. Sacculum eius, antequam discedat, diligẽter inuisat, remque omnem reuoluat, & si quid non ei priùs concessum inuenerit, summa auferat auctoritate. Minora tamen, & ad deuotionem spectantia, vt sunt paucę imagunculę, pauca grana benedicta, pauci Agnus Dei, & similia,

item-

itemque libelli vel ab eo ſcripti, vel ad deuotionem opportuni, ea omnia aſportari permittat.

12 Sit ei magnæ curæ, vt ſilentium accuratiſſimè ſeruetur, præſertim verò in Dormitorio, Refectorio, & alijs locis Regularibus, itemque noctu ab abſoluto Completorio ad exitum Primæ; videatque ne hyeme qui ſe calefaciunt in eam legem peccent.

13 Aegrotos fratres bis ſaltem quotidiè viſitet, cõſoleturque benignè, & ad eos curandos nullis ſumptibus parcat, tantamque hac in re diligentiam adhibeat, quantam Parentes in filios exercere ſolent, ac etiam maiorem.

14 Tertio quoque menſe ad minimum omnes Cellulas, Officinas, alioſque Monaſterij receſſus Seniore adiuncto ſibi ſocio de improuiſo viſitet, & perluſtret. Videat ne quid deſit, ne quid ſuperſit, neceſſaria relinquat, ſuperflua auferat. Viſitatione autem peracta, adhibitis in conſilium ſenioribus quid opus facto ſit prouideat, & conſtituat.

Cu-

15 Curet, vt ſacræ Reliquiæ fideliter, & reuerenter cuſtodiantur, nec earum tantillum cuicumque homini det, vel dari permittat ſine Abbatis Generalis conſenſu in ſcriptis obtento.

16 Exquirat diligenter, & cognoſcat quomodò ſe gerant tàm Cellerarius, quàm cæteri omnes, cum ruſticantur, nùm fortè liberius, aut licentiùs viuant. Tertio quoque menſe rationes accepti, & expenſi Cellerarij ſui coram ſenioribus videat, aut eiſdem videndas committat; ijſque ſubductis vel ipſe, vel alius, cui iuſſerit, actum in eiuſdem Cellerarij libro deſcribat, & actui huiuſmodi omnes, qui computis adfuerunt, ſe ſubſcribere, ſi renuerint, cogantur, etiam cenſuris ſi opus fuerit.

17 Præter librum Computorum, vulgò dictum *della Caſſa commune*, in quo iuxtà Conſtitutiones quater ſaltem in anno pecuniæ omnes tàm acceptæ, quàm datæ deſcribi debent, duos alios Codices quiſque Superior habeat; alterum, in quo fructus prædiorum, &

pro-

prouentus, rerumque aliarum extrà pecuniam numeratam, describantur; alium verò, in quo quæque Monasterij credita, Montium loca, Census, Canones, & similia distinctè notentur, additis vbiq; nominibus personarum, à quibus pecuniæ huiusmodi debentur, itemque qua ratione, quoue iure debeantur, facta insuper expressione instrumenti, seu Chyrographi, quibus credita ipsa, cum opus fuerit, probari queant.

18 Capsæ introitum ipse solus, & non alius scribat, & exprimat, quanta pecunia sit, à quonam accepta, qua ratione, ex quibus venditis frugibus, ex quibus redditibus, & censibus, &c. notetque semper, an accepta pecunia ad bonum computum, vt dicitur, accepta sit, an vero pro finali solutione. Introitus ex vna parte libri, & ex altera eiusdem exitus scribantur, & tàm in vna, quàm in altera adnotentur; in capite cuiusque paginæ annus, & mensis currentes sequenti modo.

Gen-

GENNARO 1668.

A di 10. riceuuto dal Sig. N. per il Censo che paga al Monastero à conto del Semestre spirato li 27. di Decembre dell' Anno precedente 1667. scudi venticinque, dico sc. 25

A di 20. riceuuto per la pigione della Casa detta N. per intiero pagamento del termine spirato li 20. Agosto del 1667. scudi diecinoue, dico sc. 19

A di 26. riceuuto per la vendita di cinque moggia di formento, à ragione di scudi sei il moggio scudi trenta, dico sc. 30

FEBRARO 1668.

A di 6. riceuuto, &c.

19 In altera verò eiusdem libri parte exitus, seù pecunia data Cellerario non ab ipso Superiore, sed à Cellerario adnotetur hoc pacto.

GENNARO 1668.

A di 3. riceuuto dalla Cassa commune scudi cinquanta cinque, dico sc. 55

FEBRARO.

A di 8. riceuuto dalla Cassa commune scudi cento cinquanta sei, dico sc. 156

20 Porrò tàm introitus, quàm exitus omnes summę primùm per elementa, & deinde per numeros arithmeticos distinguantur, vt in superioribus exemplis monstratum est. Liber autem huiusmodi nitidus semper, & sine prorsùs litura in capsa trium clauium seruetur.

21 Eleemosynas de bonis Monasterii iuxtà laudabilem consuetudinem largiendam curet: quod si aliquid ampliùs extrà ordinem dandum erit, caueat ne summam in Constitutionibus taxatam sine licentia eorum, ad quos spectat, excedat.

Con-

22 Constitutionum caput 66. quo superiori Monasterij prohibetur vllam maiorem ædificationem aggredi sine licentia Abbatis Generalis, aut Prouincialis quam diligentissimè seruet, similiterque caueat, ne maiores sumptus in vllam rem absque sui Capituli consensu faciat. Inter maiores sumptus id declaramus esse, quod ad victum, & vestitum Monachorum, quod ad necessariam alicuius fabricæ reparationem, quod in supellectilibus, tàm Sacristiæ, quàm Vestiarij necessarium omninò non fuerit.

23 Caueat quam maximè poterit, ne cum ad Capitulum Generale proficiscitur, relinquat Monasterium ære alieno obstrictum, ob eamque rem prudenter, & parcè sumptus faciat, & ab omnibus expensis, vt suprà non necessarijs abstineat.

24 Festis statutis per se, aut per alium idoneum conciunculam saltem in Capitulo ad fratres habeat. Pias collationes, seù disputationes de rebus

ſpiritualibus ſingulis menſibns fieri non negligat. Capitulum culparum ad præſcriptum teneat. De ſtatu ſui Monaſterij Abbatem Generalem, aut Prouincialem certiorem quoque menſe faciat. Aegrotos fratres quotidie viſitet, benignè conſoletur, & ad eos curandos nullis ſumptibus parcat, tantamque hac in re diligentiam adhibeat, quantam, & etiam maiorem ſolent parentes in filios exercere. Curet denique, vt omninò in Monaſterijs, in quibus ſacræ Theologiæ ſtudia non ſunt, bis in hebdomada lectio, ſeù conferentia caſuum conſcientiæ fiat, à qua nullum ex Profeſſis Choro adſtrictis abeſſe minimè patiatur.

De Officio Supprioris.

1 ELectionem Supprioris, qui in Abbatijs idem eſt ac Prior, à quoque Monaſteriorum immediato Superiore, ſiuè is Abbas ſit, ſiuè Prior, pendere omninò ſtatuimus; in eaque facien-

facienda obſeruetur, vt eligendus ex antiquioribus quantum fieri poterit, & ex magis ſpectatæ virtutis Vocalibus, conſultis priùs Monaſterij ſenioribus, promoueatur. Cum autem cautum ſit neminem in Superiorem Monaſterij eligi debere, qui triginta ætatis annos, & profeſſionis decem non habuerit, ſtatuimus quod in Suppriorum electione hoc idem ſeruetur, niſi Abbas Generalis de ſuorum conſiliorum conſilio ſuper hoc ſpecialitèr, & expreſsè diſpenſauerit.

2 Qui Supprior electus fuerit non facilè; nec pro qualicumque culpa ab eo officio remoueatur, ſed pro grauioribus dumtaxat, aut grauiſſimis, & de Seniorum Monaſterij, aut ſaltem Prouincialis conſilio, adhibitaque prius ſemel, atque iterum vel admonitione, vel correctione. Prouincialibus tamen iuxtà Monaſteriorum exigentiam liberum erit Suppriores quoſcumque ab eo Monaſterio, in quo degunt, remouere, vt alibi commorentur.

3 Supprior, cum præcipuum munus suum sit in omni parte administrationis suum adiuuare Priorem, in ea nequàm diligentissimè præstanda enixè contendat, & vt disciplina regularis secundum Regulam, & Constitutiones quàm sanctissimè seruetur, elaboret, ob eamque rem det operam, vt cum Priore suo tùm voluntatum, & studiorum, tùm sententiarum, & opinionum summa consensione sit coniunctus.

4 Ab Officijs diuinis, Meditatione, Capitulo, communi opere manuũ, colloquio spirituali, & ab alijs denique omnibus exercitationibus regularibus, ad quas cœtus fratrum congregatur, præsertim verò cum abest Prior, nisi grauissima causa, aut potiùs necessitas vrgeat, abesse sibi fas non putet.

5 Quotiescumque Prior est in Monasterio, nemini det cuiusquam rei licentiam, aut dispensationem, vt v. g. non obeundi Chori, sumendi mixti, bibendi extra Refectionis horas statutas, sed eos supradicta, vel alia huiusmodi

pe-

petentes ad Priorem mittat, nec eo tempore quempiam apud se extrà Capitulum proclamari patiatur.

6 Nihil ipse sibi sumat, nec vllius oneris immunitatem, nec quidquam, quod cæteris prohibitum sit, sibi arroget, aut vsurpet nisi de licentia Prioris, quam eodem prorsus modo, quo cæteri, petat cum indigebit.

7 Diebus habẽdi Capituli, si Prior id habere non potest, habeat ipse pro illo, quamuis in Monasterio sit, nisi fortè hoc illi ad tempus nominatim prohibuerit. Habeat descripta officia omnium Monasterij Officialium, vt possit suos, qua in parte officiorum suorum delinquunt, sedulò admonere, & rectè cognoscere.

8 Perambulet interdùm Monasterium, ac perscrutetur, & videat diligenter quomodò fratres tempus collocent, quo pacto Officiales in suis officijs versentur, accuratè ne seruent omnia iuxtà præcepta sibi tradita, an in aliqua parte negligentes sint, & denique

qua ratione se gerant in toto officio. Cum autem animaduerterit aliquem in aliquo delinquere, aut aliquod institutum obliuione, aut quacumque alia causa obsolescere, vel remitti, eius rei Superiorem modestè admoneat, vt nascenti malo medeatur.

9 Monachos autem, non Sacerdotes, aut fratres delinquentes, vbi Superior in loco præsens non fuerit, quamuis alibi sit in Monasterio, corrigat ipse, & pœna delicto debita coerceat, in qua tamen re modestè, ac amanter se gerat, & vbi viderit posse sola admonitione prodesse, à pœnis abstineat. Sacerdotes verò admoneat solùm, quod si se non correxerint, ad Priorem deferat.

10 Ab officijs, quæ per hebdomadam disponuntur, nequaquàm immunis sit, & eisdem in suo ordine fungatur, nisi Superior è Monasterio, vt infrà dicetur, sit absens. Cum tamen ipse Inuitatoriani officium præstat, si Prior è Monasterio non abfuerit, etiamsi in

loco

loco præſens non ſit; munus quidem ſuum exerceat, ſed benedictionem poſt Martyrologij lectionem non petat, & eam pro eo petat ille, qui eidem in ſua Chori parte proximior erit, idemque fiat, ſi in Refectorio Supprior lecturus ſit, vbi ſicut & in Choro benedicat ipſe, & non alius.

11 Cum habiturus ipſe Capitulum fuerit, caput Regulæ pro eo is perlegat, qui ex Choriſtis vltimus eſt, idemque omninò fiat in lectione ante Completorium, ſi à Suppriore lector benedicendus ſit.

12 Si fortè Superior Monaſterij pro humanæ naturæ infirmitate in officio titubet, ad Suppriorem ſpectat eũ quàm modeſtiſſima admonitione peccati reuerenter commonefacere, eamque rem præcipiti animo non faciat, ſed opportuni temporis occaſionem expectet, cum opportunitas in admonendo maximi ſit momenti. Propter rem leuiculam non admoneat, nec in grauibus ſuo vnius iudicio inductus ad

ad-

admonendum accedat, priusque semper seniorum Patrum consultationem adhibeat. De grauioribus itaque, quæ scilicet vel ad officium eius, vel ad ipsam personam pertinent admoneat ipse, nec tunc satis habeat errata ipsa generatim significare, sed ea velut intendens digitum ad rem præsentem, sigillatim, perspicueque commonstret, de quibus cum admonuerit, ea nullo modo diuulget, nec signo vllo, aut nutu cuiquam homini significet, excepto si fortè Superioribus Superioris enuncianda videbuntur.

13 Caueat diligenter, ne ex hoc admonendi officio remittendi aliquid de obedientia, reuerentiaque, quam Superiori suo tanquàm Domini Nostri Christi Vicario præstare debet, ansam arripiat, caueatque simul, ne propter reuerentiam, qua eum prosequitur, minorem libertatem ad admonendum sibi faciat. Si se admonitione non profecisse videt, admoneat iterum, & sæpiùs, si opus sit; quod si emendationem desperet,

peret, omnemque suam diligentiam, atque operam irritam esse animaduertat, post imploratam Diuinam opem, de ea re Prouincialem, aut Abbatem Generalem per literas certiorem faciat.

14 Quoties propter mortem, iter necessarium, aut aliam quamcumque causam Superior Monasterio defuerit, Supprior vt suprà electus in omni re vices eius gerat, eandemque obtineat potestatem tùm in spiritualibus, tùm in temporalibus vsque ad eius reditum, aut alterius noui Prioris aduentum, & locum Superioris interim teneat; videat tamen ne in regiminis ratione quidquam mutet, nec quę sunt ab illo constituta aut rescindat, aut irrita faciat, imò ad illius pręscriptum omnia gerat, nec vllum nouum institutum, aut morem inducat. Reuerso Priore admoneat eum, erudiatque plenè de toto statu Monasterij, & de omnibus, quę id temporis noua contigerint. Si Prior minusquam vnius mensis spatio sit abfutu-

futurus, Supprior ea, quę superiùs diximus, faciat, sed in loco, & ordine suo maneat. Cum Prior post horas paucas reuersurus è Monasterio egreditur, caueat Supprior ne pedem è Monasterio efferat, aut quidquam faciat, quod sine licentia Superioris, si pręsens esset, non faceret, & idem obseruet, cum de licentia eiusdem extrà Monasterium fuerit.

15 Si quid grauius, aut maioris momenti, dum Prior abest, in Monasterio eueniat, Supprior, si fieri potest, re suspensa, Priorem per literas admoneat, expectetque responsum. Priore autem Monasterij vita functo, Supprior Prouincialem per literas, aut alia opportuna ratione de eo commonefaciat; Quod si Prouincialis nullus fuerit, aut in loco sit, ad quem literas destinare difficile sit, ad Abbatem Generalem scribat, & intereà Monasterio pręsit, vt dictum est.

16 Diebus duodecim lectionum, cum Superior Monasterii lecturos bene-

nedicit, duodecimam lectionem Supprior recitabit, prout in primo Ritualis libro adnotauimus.

17 Quod ad eius precedentiam attinet, locum is immediatè post Superiorem suum habeat. Vbi tamen Abbas Titularis aderit, Supprior post hunc stet, & sedeat, nisi quando ipse propter longiorem Superioris absentiam, vt superius diximus, vel obitum locum suum mutauerit; in alienis verò Monasteriis præcedẽtiam nullã habeat, sed Professionis suę seruet locum.

18 Hęc sui officii præcepta legat primò, cum init officium, quarto deinde quoque mense; cęterorum autem officiorum descriptionem, ipsumque Rituale sexto quoqne mense perlegat.

19 Omnia, quę diximus ad Suppriorem Monasterii pertinere, cum is abest, ad primi Senioris officium, præter culparum correctionem, deuoluuntur, his tamen exceptis; locum non mutat; non cantat Missas officio Superioris

rioris addictas; non imponit Antiphonas ad Benedictus, & Magnificat, non inchoat Responsorium vltimum; officia non claudit; ægrotũ non vngit, nec sanctissimo Sacramento reficit; mortuum non sepelit, sed ea omnia Hebdomadario Sacerdoti peragenda relinquit.

20 Post vnumquodque Capitulum Generale cùm primùm Prior Monasterij electus, seu confirmatus suæ electionis literas patentes publicari fecerit in suo Capitulo, cesset omninò Supprioris officium, adeatque is suæ professionis locum: & hoc idem fiat, quotiescumque nouus aliquis Monasterij Superior quacumque de causa creatus fuerit.

De officio Magistri Nouitiorum.

1 TAlis semper Nouitiorum Magister eligatur, qualis in Constitutionibus nostris describitur, & qui sacerdotali ordine initiatus ætatis suæ trigesimum quintum attingat annum, ac ab

ac ab emissa professione decimum. Habeat is circa Nouitiorum institutionem ac Nouitiatus regimen plenam, absolutamque potestatem, & in illis nemini, Abbate Generali, Prouincialibus, Monasterij Priore, atque in actu Visitationis Visitatoribus exceptis, quouis colore se se ingerere liceat.

2 Teneat Magister apud se loci Nouitiatus clauem, neque illuc alicui ingressum permittat nisi graui ex causa. Liceat tamen Monasterij Superiori in eum locum ingredi quandocumque ingrediendum necessariò existimauerit, eoque casu aliquem semper ex senioribus sibi socium assumat.

3 Illius Constitutionis partem, in qua eius officium describitur, sæpius perlegat, studeatque ita diligenter munere suo defungi, vt nihil in eo prudentis consilij, nihil in Nouitijs optimæ educationis desiderandum supersit.

4 In librorum spiritualium lectione adeò versatus sit, vt facili negotio

omnes

omnes vitæ ſpiritualis difficultates, pericula, & errores deuitare ſciat, in promptuque vel ex proprio experimẽto, vel ex approbatis Scriptoribus animorum morbis ſpiritualia habeat medicamenta, & remedia.

5 Libros ad hanc rem aptiſſimos ſemper reuoluat, quales ſunt Baſilij Magni Aſcetica, & Regula, Gregorij Moralia, & Dialogi, Auguſtini Meditationes, & Confeſſiones, Sanctiſſimi P. N. itemque Bonauenturæ, Caſſiani, Ioannis Climaci, Diadoci, Richardi de S. Victore, Ioannis Tauleri, Ludouici Bloſij, Dionyſij Carthuſiani, Petri Damiani, Ioannis Rusbrochij, & Suſonis opera omnia. Legat & Dorothei, Macarij, & Cæſarij Arelatenſis homilias, itemque Ephrem, Nili, & Iſaię Abbatis opuſcula. Scrutetur Hugonem de S. Victore de Clauſtro Animę, Humbertum de Eruditione Religioſorum, Innocentium de Contemptu Mundi, Thomam à Kempis de Imitatione Chriſti, Ludulphum de Vita Chriſti, Pe-

trum

trum Cluniacensem de Miraculis, & Laurentium Iustinianum de Disciplina, & perfectione Monasticę conuersationis. Lectitentur ab eo Vincentij tractatus de Vita Spirituali, Pharetra Diuini Amoris, Vitę Patrum selectæ, & Sanctorum à Lippomano, & Surio descriptæ, Seuerus Sulpitius de Vita S. Martini, Gregorius Turonensis de Gloria Confessorum, & Vita eiusdem S. Martini, Speculum exemplorum, Vita S. Catharinæ Senensis, eiusdemque Dialogi, & Epistolæ, Francisci Salesij opera omnia, ex ijs autem hauriet, quæ sapienter suis eructabit.

6 Nouitiorum omnium confessiones, quæ bis saltem per hebdomadam faciendæ erunt, ipse solus excipiat. Licebit nihilominùs tàm locali superiori, quam Prouinciali, si ita expedire iudicauerint, vel per se ipsos, vel per alium ab eis deputandum semel, aut bis in annum Nouitiorum confessiones audire. Communicabunt autem Nouitij

quoties confitentur, vel sæpiùs, si Magistro placuerit.

7 Pridiè quam habitu Monastico induantur; singula eos edoceat, quę postridiè ab eis peragenda erunt, & hæc vel à Rituali, vel ex Chori Manuali exquirat. Die, quo quisque induendus erit, curabit, vt ante ipsius habitus susceptionem Postulans peccata confiteatur, missam audiat, communicet, & quartam ad minimum horæ partem vehementiùs in oratione consumet.

8 Primum porrò in Nouitios Magistri studium in id contendat, vt ij externas actiones ad omnis modestiæ specimen componant, illosque ita efformet, quod omni tempore, omnique in loco siuè stent, siuè sedeant, siuè ambulent, siuè operentur sibi similes modesti sint, ciuiliterque se gerant in omni humanitate conspicui.

9 Dum Nouitios comitate induit monastica, eorum animas omnium virtutum genere exornet, humilitate præsertim, propriæ voluntatis abnegatione,

ne, & obedientia, nec ſatis habeat, quod modeſti videantur, ſed eos etiam ad perfectionem religioſam manuducat, inuitet, & quaſi impellat.

10 Perpetuo eos in ſanctæ mortificationis exercitio contineat, quos præſertim ad vitia tū ipſa natura, tùm mala cōſuetudine inuenerit procliuiores.

11 Epiſtolas eis conſcribere quàm rariſſimè, & numquam ſine graui cauſa permittat, conſcriptas autem ſiuè ab ipſis ad alios, ſiuè ab alijs ad ipſos aperiat, & legat, lectáſque arbitratu ſuo vel tradat, vel mittat. Caueat tamen, ne in aliquo vel leuiter peccet contra, ea, quæ in Conſtitutionibus de epiſtolarum apertione, & retentione diſponuntur.

12 Poſſit Nouitios, obtenta priùs à Superiore licentia, octauo quoque die extra Monaſterium ad loca tamen à ſæcularibus remota, & ſemel, vel iterùm per hebdomadam abſque alia licentia in Monaſterij hortum, vel alibi intrà Clauſuram deducere, vt illic cum ſocio

vnicuique ab ipſo aſſignando bini, & bini ſpiritualibus colloquijs animum remittant.

13 Magiſter Nouitiorum neminē ſinat quidpiam accipere, dare, vel facere ſine iuſſione ſua, curetque, vt illis neceſſaria quæque, modo, & tempore opportunis ab Officialibus Monaſterij miniſtrentur, & quæ danda ſunt, ſibi tribui iubeat Nouitijs daturo.

14 Summæ curæ ſit ei, vt Nouitij cantum Gregorianum optimè diſcant, & alternis ſaltem diebus hora ſibi benè viſa in eo inſtruantur. Bis autem ſemper per hebdomadam in Chori, & Altaris cæremonijs, ſacriſque functionibus eos diligenter exerceat.

15 Ad recognoſcendas, & emendandas Nouitiorum culpas ſingulis ſecundis, & quintis ferijs in ipſa Nouitiatus Cella, vel alia peculiari Capitulum habeat, in eaque re maxima prudentia, ac diſcretione vtatur, ſciatque ſe cum nouellis plantationibus, quas ſi nimium aſperioribus verbis agitauerit, fortè

quaſ-

quassabit, negotium agere. Vitia nihilominùs non dissimulet, sed funditùs eradicet. Cum nouiter ingressis benigniorē se præstet, seueriorem cum ijs, qui post multum temporis admissi sunt, cum alijs autem, quos vel monasticæ rei longior vsus non compescit, vel repetitæ correctiones non coerceunt, rigidissimus sit. Rigorem tamen ipsa vultus serenitate, animique mansuetudine semper contemperet.

16 Publicas pœnitentias, siuè illæ pro culpis dentur, siuè ad virtutis exercitium, alias Nouitijs non imponat, quàm ex descriptis in Constitutionibus, quibus pro arbitrio suo addat sequentes. Pannum, vel linum, aut aliud quidpiam super oculos gestare; baculum ad modicum tempus dentibus tenere; lingua Crucis figuram in solo efformare; sine caputio cibum sumere: escaria vasa vice Hebdomadarij Ministri lauare: silentium per diem seruare, & similia, quæ ipsum prudentia, & discretio docebunt. Cæte-

terùm coram ſæcularibus, niſi illi ſeruitores ſint, aut domeſtici peragendas pœnitentias non iniungat.

17 Singulis feſtiuis diebus, niſi plures immediatè occurrant, fiat à Magiſtro collatio, ſeù Conferentia ſpiritualis, & ipſe interrogantis partes agat, & cum quiſque ſuam ſententiam protulerit, vel corrigat, ſi extrà rem videatur, vel explanet, ſi obſcura, addatque ſemper ad eiuſdem ſententiæ maiorem explicationem aliquid vel de ſuo, vel de Sanctorum Patrum doctrina. Præcipua collationum argumenta ſint de animi paſſionibus, deq; eorum remedijs, de virtutibus, & vitijs, de methodo ad rectè, & fructuosè pſallendum, orandum, & meditandum, de externorum ſenſuum mortificatione, de præſentia Dei, de quatuor nouiſſimis, de referendis in Deum actionibus, & de eorum medijs, de Sacramentis pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, quali ſcilicet ratione ad ea quiſque accedere debeat, & demùm de perfectione mona-

naſti-

monaſtica, & ſimilibus.

18 Quos viderit doctrina Chriſtiana opus habere, eos illam doceat, ſciatque ſibi certò imputandum, ſi poſt completum probationis annum neſciuerint Nouitij ſcitu neceſſaria.

19 Curet, vt quotidie vel in ipſo Nouitiatu, vel apud aliquod Beatæ Virginis Altare, vel Imaginem eiuſdem Virginis Litaniæ recitentur, quibus ipſe orationes addat, primam de Spiritu ſancto, ſecundam de Beata currentem, tertiam de Diuo Bernardo, quartam, *Deus, qui nos à vanitate*, &c. quinta, ſi addenda erit, ad eius arbitrium dicatur. Præſens etiam quotidie ſit, dum Nouitij poſt Completorium, aut collationem conſcientiam examinant, coronam recitant, & cum flagellis alternis diebus ſe cædunt.

20 Nouitijs pręſertim verò ætate iunioribus, & ante vigeſimũ annum ieiuniorum tempore ientaculum, panem ſcilicet, & vinum poſt Miſſam alternis diebus, dummodò feſtiui non ſint, in

Refectorio apponere curet, & eos æstatis tempore, & in breuioribus noctibus semel, aut iterum ne surgant cum cæteris ad Nocturnos pro suo arbitrio dispenset.

21 Det operam vt quotidiè iuxta regulam, Nouitij manuum laboribus incumbant, & aduertat vt omnes simul in eadem loci parte laborent. Antequàm opus incipiant, cui ipse interesse semper debet, dicat vel ipse, vel si absens sit, qui præest orationem, *Actiones nostras*, *&c.* & opere completo orent iterum, & dicatur ab eodem, *Gloria Patri*, *&c.* cæteri autem respondeant. *Sicut erat*, *&c.* Dum opus faciunt, pius semper aliquis liber ab eo vel ab ijs alternatim, quibus ille Lectionem iniunxerit, perlegatur.

22 Intrà Monasterij septa, & nunquam extrà opus imponat, & opere necessario deficiente, eis nihilominùs ad exercendas vires, tuendæque sanitatis causa aliquid operis ad arbitrium suum imperet, & in transferendis li-

gnis,

gnis, lateribus, lapidibus ab vno ad alium locum eos occupet.

23 Doceat eos, cum operi incumbunt, modeſtiam omnem ſeruare, cucullam ita eleuare, vt nunquam tibiarum nuditas appareat, nunquam ſine caputio eſſe, nunquam brachia diſcooperta tenere, niſi cum priuatim aut ſuas res, aut vaſa eſcaria lauant.

24 Superiorem localem ſæpè adeat, atque cum eo de ſpirituali Nouitiorum profectu, vel defectu communicet, idemque faciat quoque menſe cum Abbate Generali, vel Prouinciali, aut voce, ſi præſentes fuerint, aut ſcripto, ſi abſentes.

25 Eodem modo, & ſub eiſdem regulis ac Nouitij ſint ſub cura Magiſtri nouiter Profeſſi, & in eos eandem omninò authoritatem ille toto tempore, quo ſibi ſubijciuntur, exerceat. Quod ſi nouiter Profeſſi in aliquo alio Monaſterio educandi erunt, Magiſtrum illis alium Abbas Generalis deputet, vel id munus eiuſdem Monaſterij Priori imponat,

ponat, ſub quorum cura permaneant nouiter Profeſſi eodem modo, quo ſupra, vſque ad tempus præfinitum. Vbi tamen ij ſtudio Philoſophiæ, aut Theologiæ incumbunt, ab opere manuum exempti ſint.

26 Cætera, quæ ad eius officium pertinent, à Conſtitutionibus cap. de Nouitijs petantur, & ea ſæpiùs perlegat, & obſeruet. Sciat autem Magiſter Nouitiorum ſe in omnibus, & per omnia Superiori ſuo, itemque alijs iuriſdictionem habentibus ſubditum eſſe, & curet propterea, vt quæ ſibi ab ipſis iniunguntur, omninò obſeruentur.

De Officio Cellerarij.

1 CEllerario in Monaſterio curæ ſit annonam, & cibaria omnia diligenter aſſeruare, & cum opus fuerit, diſtribuere, cocoſque admonere, quem cibum Fratribus quoque die parare debeant. Cibaria itaque diſtribuat iuxtà ſibi præſcriptam à Superiore

re

re rationem. Si quod genus cibi citò consumendum est, ne corrumpatur, aut si qua alia ratio aliquid immutari postulet, consulat item superiorem, & faciat, quod ille iusserit. Similiter & in cæteris siue de mensura, siue de genere ciborum agatur, & in omnibus officij sui partibus, præsertim quæ ad victus rationem pertinent, Superiorem interroget, eiusque præcepta pro lege habeat.

2 Quæ Fratres sine licentia in vsus suos accipere non queunt, eadem nec ipse possit sibi, caueatque ne sibi ipsi, nec alteri cuiquam communem cibũ, aut potum nisi de mandato Superioris vel mutet, vel augeat; & studeat, vt apponendorum ciborum partes quam maximè æquales Fratribus distribuantur, nihil vni plus, minusue tribuens quam alteri, nisi fortè superior interdum secus fieri propter aliquam causã iusserit.

3 Aegrorum, & infirmorum, senum, & aliorum, qui aliqua re extrà

ordi-

ordinem præcipua necessitate indiguerint, rationem habeat, sicut ei à Superiore aut nominatim, aut generatim præceptum fuerit.

4 Obseruet frequenter Coquos, quàm diligenter, & sedulò, qnam purè, & mundè in parandis cibis versentur, admonens eos maturè quod genus cibi paraturi sint, vt ei parando commodè satis temporis habeant, tradatque propterea illis opportuno tempore coquenda, & apparanda, aliaque ad victum necessaria, occupationesque suas temporibus sic dispositas habeat, vt res quascumque sine mora indigentibus sine mora largiatur.

5 Donatos, his exceptis, qui sub cura Magistri Nouitiorum sunt, habeat suæ fideicommissos, eosque cum in opere sibi iniuncto deliquerint, admoneat, & modestè obiurget, cauens tamen à dicterijs, & à verbis contumeliam afferentibus, quod si quis eorum pro grauiori culpa proclamandus sit, id ante se non faciat, sed ante Priorem, aut Suppriorem.

Res

6 Res quaſcumque à ſe comparatas cellis, apothecis, & receptaculis obſeratis cuſtodiendas curet, caueatque diligenter, ne corrumpantur, aut alio quouis modo pereant, quamobrẽ annonæ receptacula frequenter perluſtret, & curet vt tam ipſa annona, quã receptacula ab omnibus ſordibus quam puriſſima ſeruentur.

7 Antequam genus aliquod ciborum penitùs conſumptum ſit, maturè Superiorem admoneat, & de illius participatione alia comparanda curet, habeatque libellum, in quo ſcriptum ſit omne genus annonæ ad victum neceſſariæ, huiuſmodi ſunt legumina, far, oriza, vua paſſa, &c. addito anni tempore, quo quid horum comparandũ ſit.

8 Vas olearium, vnde quiſque fratrum oleum ſibi in vſum lucernæ promet, omnibus expoſitum certo loco ſeruari faciat, ac moneat fratres, vt in oleo inſumendo, quantum fieri poterit, parſimoniam adhibeant, & elichnis tenuioribus vtantur.

Præ-

9 Præter annonam communem in quotidiana fratrum alimenta, aliam etiam paret in ægrorum, & hoſpitum vſum: & vt nihil ab eo negligendum putet, codicem habeat vniuerſæ ſupellectilis Monaſterij tum ad Culinã, tùm ad penum, tùm ad hoſpitium neceſſaria pertinentis, eumque ſæpè inſpiciat obſeruans nùm aliquid deſit, aut vitiatum ſit,

10 Scopas omnes Monaſterij, & alia in vſus neceſſaria diſtribuat, ſaponem etiam, & cætera, quibus veſtes, & vaſa mundantur, vel apud ſe habeat ſepoſita, vel alteri, Superiore priùs conſulto, cuſtodienda, & eroganda tradat.

11 Extra Monaſterium agat, quæ ſequuntur. Primum coemat, & comparet, aut alia ratione coemenda, & comparanda, & in Monaſterium comportanda curet frumentum, vinum, oleum, legumina, aliaque cibaria, item ligna, pannum laneum, & lineum, cæteraque victui, veſtituique fratrum neceſſa-

llaria, item ſaxa, lateres, calcem, &
teriam ad ædificationem, ſi opus ſit;
ibus in rebus omnia ad arbitrium,
præſcriptum Superioris faciat, &
odque is iuſſerit, celeriter, ſtudio-
ue exequatur.

12 Fundorum, prædiorum, & æde-
orum quorumcumque Monaſterij
in agris, ſiue in Vrbibus ſint, cu-
, & ſollicitudinem habeat. Mona-
ij vectigalia, cenſus, & redditus,
iſcumque generis ſint, exigat, &
igat, itemque eleemoſynas, & alios
tus, & quaſcumque obuentiones,
ie omnia afferenda, aut conuehen-
uret, vel tota ſimul, vel partem
im pro opportunitate, & vt Supe-
placuerit. Pecuniam verò vel exa-
, vel ex quacumque re collectam
riori tradat in arcam, quæ tribus
bus diuerſis obſeratur, conden-
.

Annonam ad victum in longum
ous reponendam maturè comparet,
iaque Superiore priùs monito, à
quo

quo pecuniam in id conferendam accipiet, tempestiuè mercetur. Videat vt quæque emenda cautè emat, & non pluris quàm par est, ne pecuniam temerè profundat, & caueat dum hoc fugit, ne interim vitiosa, aut insalubria comparet.

14 Det operam, vt quantum fieri poterit, præsenti semper pecunia emat omnia, quod si interdum facere non poterit, tunc non nisi pacto prętio nihil emat. Quæ in diem Monasterio sunt necessaria rarò per se ipsum emat, sed potiùs ad ea mercanda Donatos fratres adhibeat, ex quo fiet, vt minùs sæpè necesse habeat egredi è Monasterio.

15 Studeat quàm rarissimè poterit ab Officio Chori, à meditatione, & ab alijs exercitijs regularibus, quæ illius officio non afferunt impedimentum, abesse. Diebus festis nisi graui ex causa è Monasterio non prodeat, idque alijs etiam diebus, quantum sibi licuerit, faciat, vt publicum non tàm appetisse, quàm vitare non potuisse intelligatur;

ac

ac foris Monasterij disciplinam tùm in victus, vestitusque ratione, tùm in cultu diuino summo studio ad præscriptum Constitutionum seruet, sancti sui Instituti semper, & vbique memor, inque re omni diuinam gloriam, proximorumque salutem expectans, & quærens: quare in omni sermone, gestu, & incessu eam modestiam adhibeat, quæ omnibus salubri exemplo sit, ijs præsertim, quorum in gerendis negotijs ope indiget.

16 Quascumque res gerit cum Superiore communicet omnia ad illius nutum acturus; si tamen aliqua in re dissentiat ab eo, liceat ei modestè sententiam suam, & rationem exponere, ita tamen vt si nihilominus Superior aliter iusserit, ipse obediat.

17 Cum primùm aliquid pecuniæ vndecumque ea sit, in eius manus venerit, eius summam in suo Diurnali illicò referat adnotando qua ratione, & ex quibus rebus, & à quibus personis, & quo die eam receperit; quo facto

eam pecuniam, vt suprà dictum est, Superiori consignet in arcam condendam. Pecunia autem aliena, aut ex Superioris permissu vel deposita, vel ad seruandum data nihil omninò expendat, sicut nec pecunia, quæ in certum vsum destinata fuerit, ad aliam rem vtatur nisi Superioris permissu.

18 Acceptæ, aut debitæ pecuniæ quibus oportuerit cautionem det, vel chyrographi sui, vel publici instrumenti, cum eius rei potestatem à Superiore, & à Monasterij Capitulo acceperit. Si pecunia accepta in arca condenda non erit, eam tamen in libro, vt suprà, describat, & de ea Superiorem admoneat, vt ipsam tùm Superior in peculiari suo libro conscribat, tùm ipse de Superioris licentia expendat.

19 Nihil mutuo sumat, vel det, neque vllum æs alienum nisi de Superioris concessu, atque etiam Capituli, si opus sit, contrahat. Litem vllam cuiquam nisi consentiente Superiore, & ipso Monasterij Conuentu, inten-

tendat. Maiorem copiam frumenti, vini, aut aliorum fructuum, aut animalium vendendorum, quæ vsui Monasterij supersunt, aut in alia commodiora mutanda sunt, non vendat Superiore inconsulto, qui quidem in rebus maioris momenti Seniores Monasterij in consilium adhibeat. In rebus emendis, aut vendendis nihil temerè faciat, nec proprio addictus sit consilio, ne in rebus quidem in ipsius arbitrio positis.

20 Obseruet diligenter num Villæ, aut prædia Monasterij aliqua indigeant instauratione, num ruinosa ædificia restitui opus sit, num seri arbores, aquæductus purgari, aut sarciri debeat, ac de omnibus Superiorem commonefaciat, illiusque præscriptum, aut si res grauior sit, Capituli, vel si grauissima Abbatis Generalis, aut certè Prouincialis diligenter exequatur.

21 Vt autem possit omnia ritè, & ordine administrare, vtque rationes accepti, & expensi distinctas, ordinatasque habeat, & quisquie, qui eius suc-

cessor futurus est, notitia rei familiaris, & negotiorum Monasterij muneri benè gerendi necessaria non sit destitutus, vt denique rationem administrationis suæ liquidò, & perspicuè quocunque tempore reddere possit, codices rationum habeat, qui sequuntur.

Habeat Diurnum, quod vulgò vocatur libro del Cellerario; in cuius anteriori parte Cellerarius promiscuè quidquid dietim emitur, vel expenditur, adnotabit, quod cum facit, ponat primo loco in cuiusque paginæ principio annum, & mensem currentes addito etiam in extremo superiori paginæ angulo paginarum numero; Deinde id, quod emptum est à capite describere incipiat, aduertens quod eorum, quę numero venduntur numerum, & eorum, quę pondere emuntur pondus exprimat, primò quidem per elementa, & posteà per arithmetices notas hoc pacto.

MARZO 1669.

A di 5. per dieci libre di sarde baiocchi sessanta b.60
Per oua cento, baiocchi cinquanta cinque b.55
Per carne per l'Infermeria libre quattro baiocchi dodici b.12
Per riso libre quattro baiocchi dodici b.12
Per gobbi venti, baiocchi venti b.20
Per dieci libre di tinche baiocchi settanta b.70
Per finocchi in minestra baiocchi otto b.8
Per maccaroni libre sei baiocchi quindeci b.15
Per una libra di butiro baiocchi quindeci b.15
Per mela libre dieci baiocchi dieci b.10
Per carne per l'Infermeria libre quattro come sopra b.12

23. In extrema autem eiusdem libri diurni parte pecunias ex capsa acceptas describat non quidem Cellera-

rius ipſe, aut Superior, ſed alius ex ſenioribus, idque primò per elementa vt ſupra, & poſteà per numeros arithmeticos vt infrà.

MARZO 1669.

A di 2. dato al Cellerario dalla caſſa commune ſcudi cento, e quindici *ſc.* 115

A di 16. dato al Cellerario dalla caſſa commune ſcudi ottanta. *ſc.* 80

Curet autem Cellerarius vt ſummæ huiuſmodi, itemque annus, menſis, & dies datę cum ſummis anno, menſe, & die, quibus in libro capſæ Cellerarius eas recepiſſe fatetur, ſemper concordet, & ſimiles ſint.

24 Alium librum habeat debitorum, & creditorum nuncupandum, in eoque ex vna parte credita Monaſterij omnia cenſuum, locationum, locorum Montium, & cętera diſtributè, & per ordinem referat, additis vbique perſo-

narum

narum nominibus, titulis, causis, iuribus, & alijs circumstantijs, quibus quisque debitor obstrictus est hoc modo.

Il Sig. N. deue à questo Monasterio N. per la pigione della Casa N. ducento scudi annui, come appare nell'instrumento di detta cessione riceuuto sotto li N. del mese N. dell'anno, &c. e si pagano li detti scudi semestre per semestre, cominciando il primo li 15. di N. e l'altro li 15. di N. dico sc. 200

Il Sig. N. paga à questo Monasterio N. scudi annui sessanta per vn censo di capitale di scudi mille ducento à ragione di cinque per cento, come si vede dall'instromento di detto censo fatto, e stipolato dal Notaro N. sotto li N. del mese N. dell'anno N. fondato sopra li beni NN. di detto Signore, & il pagamento si fà di quattro in quattro mesi, ò di trè in trè mesi, &c.

& c. cominciando il primo termine sotto li N. del mese N. dico & sc. 60.

25 Eodem prorsùs modo, in postrema eiusdem libri parte debita omnia Monasterij tàm perpetua, quàm manualia per ordinem adnotabit; perpetua quidem primò, & deindè manualia non promiscuè, sed separatim, ita vt primo aspectu reperiri possint, & valeant, addatque vt supra semper singulares vnicuique debito circumstantias.

26 Habeat insuper codicem alium prædiorum vulgò *libro de i Raccolti* appellandum, in quo distinctè, & per ordinem omnia Monasterij prædia descripta sint, in ijsque describendis primo loco nomen prædij, & loci regionē exprimat, addat deinde rationem, qua illud Monasterio accesserit, an donatione scilicet, an emptione, aut legato, &c. & vltimo loco notet quo tempore acquisitum sit, & à quo Notario stipulatum instrumentum, & post vnum

quodque eorum in eadem pagina hęc verba subinferat.

Li Raccolti del sudetto podere si vedrãno ne i seguenti fogli; vertens deinde folium ponat in prima pagina hæc verba. *Nota di quest'anno N. de i raccolti prouenuti dal podere retroscritto.*

Di fromento moggia N. che valutato secondo la commune à ragione di scudi N. il moggio sono scudi N. dico *sc.*

Di biada moggia N. che valutato come sopra sono scudi N. dico.

Di vino barili N. che valutato &c. Et sic fiat de fructibus alijs quibuscũque, & de omni re ex eodem prędio habita siue in vsum Monachorum consumpta, siue vendita sit, adnotando semper cuiusque fructus, & rei qualitatem, quantitatem, & pretium commune. In alia verò pagina ex aduerso scribat hæc verba.

Spese fatte in questo medemo anno per le reparationi, coltura, e pesi del sudetto podere.

Spe-

Spese per reparatione della fabrica scudi quattro dico *sc.4*
Più per vn nuouo alueo per commodità dell'acque scudi N.
Più per alberi piantati scudi N. & sic de cæteris.

27 Vt autem Cellerarius prefatos codices nitidos semper, ac nulla ex parte aut ex punctos, aut vitiatos conseruare valeat, curet alium librum sibi ad manus esse, in eoque distinctis tamẽ locis tàm quotidianas expensas, quam acceptas vndequaque pecunias sigillatim, & diligenter describat; isque liber vulgò *Imbrogliaccio* denominetur, ex quo, cum sibi opportunum erit, partitas singulas sigillatim extrahat, & expensas in libro diurno, vt superiùs dictum est, referat, acceptamque pecuniam in libro capsę inscribendam Superiori exhibeat.

28 Quater in anno superiori suo, & sępiùs si ille postulet, accepti, & expensi, itemque creditorum, & debitorum computa, & rationes exhibeat, superior

perior autem adhibitis Monasterij Senioribus ea omnia ad calculos reuocet, particas vel omnes, vel aliquas expensarum maximè diligenter examinet, videatque nùm ritè, & ad præscriptum singula notentur, & Cellerarius huiusmodi rationes præsentet quotiescumque Abbas Generalis, Visitatores, Prouinciales, aut quisquis alius delegatus Monasterium visitaturi aduenerint, & idem faciat, si in aliud Monasterium transferatur.

29 Cellerarij porrò institutio, amotio, duratio, à Monasterij Superiore dependere omninò statuimus, & declaramus, ijsdem & modo, & forma quibus Supprior, prout superiùs diximus Cap. de Suppriore nu. 1. 2. & 20.

De Officio Infirmarij, & eius Coadiutoris.

1 INfirmarius valetudinario in vnoquoque Monasterio is a Superiore præficiatur, qui solers sit, laboris pa-

patiens, charitate feruidus, validiſque viribus, & qui in munere ſuo ſummum ſtudium, maximamque charitatem adhibeat. Eius curæ, & fidei tàm infirmitorium committatur, quàm infirmi omnes, & ij etiam, qui propter corporis imbecillitatem, aut ſenectutis incommoda communis victus auſteritatem ferre non poſſunt, quos ipſe ali curabit, ſicut ei de conſilio Medici ſuperior præſcripſerit.

2 Cum igitur Infirmarius primum cognouerit aliquem fratrem corporis infirmitate laborare, viſitet illicò eum, & ſi infirmitas id poſtulet, ſuperiorem admoneat, & de illius licentia in Infirmitorium omni charitate deducat, verbis conſoletur, & pro ratione neceſſitatis erga ipſum omnem adhibeat curã, lectum neceſſarijs rebus inſtructum ei aſſignet, & notet in libro ad huiuſmodi rem comparato diem, & horam tùm quibus ille Infirmitorium ingreſſus eſt, tùm primæ febris aggreſſionem, detque operam, vt quamprimùm pecca-

ta sua confiteatur, & communicet, & interim re cum Superiore communicata, Medicum ad illius curationem accersiri iubeat.

3 Infirmum cum Medicus visitat, ei semper assistat, & eum comitetur, & dum aduenit, & eum reuertitur, notetque remedia, quæ ab ipso infirmis præscribuntur, curetque, vt quicquid præscriptum fuerit, paratum suo tempore sit. Quærat, & diligenter cognoscat à Medico rationem victus, somni, exercitationis, præbendæ medicinæ, excipiendæ vrinæ, parandæ refectionis, admittendi aeris in cubiculum, emittendi sanguinis, & aliarum rerum à quoque ægroto tenendam, & ne à memoria excidant, ea omnia scriptis commendet.

4 Sciscitetur diligenter, & sæpè de statu cuiusque ægroti, de initio, de progressu, de mutatione, & causa morbi, quo tempore febris accedat, quo recedat, quo dolore, & in qua parte laboret, & denique de omnibus morbi

cir-

circumstantijs, & accidentibus, vt omnia possit Medico exponere.

5 Cum varia cibi genera Medicus concedit infirmis, magno studio contendat vt is apparetur, qui languenti stomacho appetentiam generet, aut quo infirmi appetitus excitetur, vel qui ægroto palato magis arrideat. Infirmorum locum sępiùs inuisat, curetque, vt nihil ipsi ad rectè munus suum exercendum desit vnquam; de qua re sæpiùs superiorem consulat.

6 Apud ægrotos fronte semper exporrecta, hilarique vultu sit, & conetur eorum animos, à tristitia, quæ cuilibet morbo coniuncta est, ad spiritualem hilaritatem traducere, caueatque summoperè, ne illorum cuiquam, aut per se ipsum, aut per alios verbo, vultu, aut alio quouis modo occasio præbeatur suspicandi, quod illius morbus, seu propter diuturnitatem, vel ob extraordinarios sumptus magnæ, vel minimæ incommoditatis vel sibi, vel seruientibus, aut Monasterio sit.

7 Cum

7 Cum quis aerem, vel medicinam ſumpſerit, det operam, vt aliquis ei aſſiduè aſſiſtat, ne ſi propter medicamenti vim aliquid grauius ægroto accidat, deſit qui ſubueniat, idemque faciat quotieſcumque ſomnus, qui valetudini officiat, proſcribendus ſit; & vice verſa ne quietis tempore, aut ſomni infirmi excitentur, caueat ne ſtrepitus, aut tumultus quocumque modo in Infirmitorio, aut prope ipſum fiat.

8 Si quis ægrotus vel ad impediẽdum ſomnum, vel aliud quodcumque leuamen viſitari frequentiùs deſiderat, admoneat Infirmarius Superiorem, & de illius licentia fratrem mittat ad hanc rem aptiſſimum; & è contra cum viderit viſitationem huiuſmodi moleſtiæ eſſe infirmo, Superiorem commonefaciat, ne fratres ad eum deſtinet.

9 Poſt Completorium caueat, ne in Infirmorum Cellam frater aliquis ingrediatur, niſi aliter morbus exigat, ſed ſinat eos in lectulis ſuis quieſcere, & antequam ipſe egrediatur, ſumat aſ-

per-

pergillum, & singulos lectos circuiens aspergat aqua benedicta, clausoque ostio abeat.

10 Cum quis grauiter ægrotat iubeat aliquem seruitorem, aut aliųm de licentia superioris iuxtà lectum eius cubare, vt si qua re infirmus indigeat, celeriter ei ministretur. Prouideat diligenter, vt morti vicinis tàm Viaticum, quàm Extrema Vnctio in tempore ministretur, deque ea re, cum opus fuerit, superiorem admoneat, & curet insuper, vt quisque infirmus semel in hebdomada confiteatur, & communicet.

11 Sub mortis tempore, & dùm adhuc sensus integri vigent, curet vt infirmus pijs verbis, exortationibus, & lectione sancta excitetur ad cogitationem æternæ salutis, idque vel per ipsum, vel per alium, eaque ratione, quam æstimabit ægro vtiliorem, & gratiorem, caueatque maximo studio, ne is in eo periculo vnquam deseratur; habeanturque in promptu candela benedicta

dicta, crux, & aqua benedicta. Imminente autem morte pulſet tabulam ad conuocandos fratres ad commendationem animæ morientis.

12 Cum quis è vita diſceſſerit, curet aquam calefaciendam ad abluendum corpus, & veſtes eius deinde, & ſtragulas, in quibus ille iacuit, tradat Cuſtodi Veſtiarij lauanda, & purganda.

13 Cum verò quis ægrotus; diuino beneficio, in bonã valetudinem reſtitutus fuerit, Infirmarius ſuperiorem admoneat, vt eum in Dormitorium, & inter valentium numerum dimittat. Conualeſcentes porrò hortetur, vt officium diuinum, ſi id ſine ſanitatis offenſa Medici iudicio fieri poterit, perſoluant, & miſſam in Cappella Infirmitorij celebrent.

14 Mundiſſimum ſemper ſeruet Infirmitorium, & cum opus erit, mundari curet, habeatque ipſum omnibus rebus aptè diſpoſitis ornatiſſimum; & aliquandò, Medico tamen priùs conſulto, thus, & aliud ſimile ad purgan-

dum aerem in eo incendi iubeat.

15 Tanta in curandis infirmis à superioribus præcipuè localibus charitas adhibeatur, vt nullus siue æger, siue debilis, siue senex, siue quicumque alius remedio indigens vllatenus necessarijs auxilijs destituatur; quinimò ita eis singulis benignè, ac liberaliter prouideatur, vt omni auaritia pulsa, omnique prætextu seposito, nullis expensis, etiamsi sacra vasa vendi deberent, omninò parcatur.

De Officio Coadiutoris Infirmarij.

1 INfirmarij Coadiutor ex Conuersis, seù Donatis, seù etiam, vbi alij non suppetunt, ex robustioribus Clericis assumatur, & is Infirmario promptè, & alacriter in omni re obediat, & quicquid sibi imperatum fuerit exequatur, quàm diligentissimè, nihilque extraordinarium faciat sine eiusdem Infirmarij aut iussu, aut permissu.

2 Sit ad ministrandum ægrotis in re quacumque officiosus, & diligentissimus, quin etiam quantùm poterit sua ministrandi celeritate eorum necessitates præueniat, summoque studio cogitet, & vias omnes inquirat, quibus possit eis in omnibus optimè inseruire. Cum hoc ardentissimo ministrandi studio coniunctam semper, promptam, expeditamque habeat alacritatem, qua ministratio eius non solùm vtilis, & acceptas, verum etiam iucunda, & amabilis fiat.

3 Ad eius officium pertinet Infirmitorium euerrere, sternere lectulos, matulas, sellasque forarias deferre, auferre, exonerare, & expurgare, grauiùs ægrotantibus noctè, diuque præsto esse, & ad omnem illorum indigentiam paratum, præsertim cum vomitu, aut deliquio laborant, cum de lectulo surgunt, aut eundem repetunt, cum ad sellas accedunt, vel reuertuntur, & in omni alia re simili. Mensam communem apponat, mensulas grauioribus

infirmis ſuper eorum lectulos inſtruat, cibos deportet, & reportet; miniſtret reficientibus, ſtragulas frequenter componat ſordes pauimenti ægrorum ſputis contractas vel afflictu lateris, vel alia ratione tollat, & ſimilia alia huiuſmodi Coadiutor quàm alacriter, & quàm diligenter præſtet.

4 Studeat Coadiutor ſcire ſaltem generatim quæ ægrotis conducunt ad ſanitatem: qualia ſunt Vrinam ante ſumendam medicinam, aut chryſtherem, aut cibum reddere, cauere in grauefcente febri à cibo, à ſomno, & ſimilia. Quicquid noui ægrotis euenire videt, vt cum febris mutatur, cum ſudor aduenit, cum deliquia accidunt, cum vomitus fit, cum deliria ſuperueniunt, aut catarri, aut diarreæ, de omnibus illicò Infirmarium admoneat.

5 Infirmos commonefaciat, vt in ſolum Infirmitorij quantum fieri poterit non ſpuant, ſed in aliquod vas ad huiuſmodi vſum comparatum, aut contrà aliquod linteum ex pariete dependens;

dens; ea autem vasa, & linteamina sæpè expurget, & frequenter mutet. Lintea ad officium suum necessaria à Vestiarij Custode accipiat eodem numero ei reddenda. Munditiam amet, summæque sit ei voluptati, vt omnia mundissima seruentur in cibis, in lectis, in omnique supellectili, quæ ad infirmorum vsum adhibentur.

De Officio Secretarij Monasterij.

1 CViusque Monasterij Secretarius ex eiusdem Monasterij Vocalibus à Superiore eligatur, qui prompta manu sit, & optimè latinam linguam calleat. Is Capituli acta quæque in Codice ad hanc rem comparato describat, in quo etiam referat quæ in eodem Capitulo præter ordinem aguntur. Id omne fideliter, sed paucis verbis perstringat diem addens, aliasque facti circumstantias, & si quid secretis calculis actum fuerit suffragantium, & refragantiumsemper numerũ exprimat.

2 Ad ipsum pertinet promotiones ad ordines, altarium, seù Ecclesiæ consecrationes, campanarum benedictiones, primarum missarum celebrationes, Confessariorum Monasterij approbationes, Monacorum, ac fratrum Monasterij obitus, vel ad aliud Monasterium migrationes, vel aduentus, Abbatis Generalis receptionem, Visitatorum, Prouincialium, & Delegatorum accessiones, alicuius Magni Viri hospitationem, vel transitum, magnos Ecclesiarum nostrarum concursus, & cætera huiusmodi, quæ vel raro, vel præter ordinem accidunt, adnotare, describere, & perpetuæ memoriæ consignare.

3 In eodem Codice notabit etiam noni cuiusque Prioris aduentum; qua scilicet die in Monasterium ingressus sit, qua die possessionem acceperit, qua die & quos officiales elegerit, & quam demum die ad Capitulum Generale profectus fuerit, describens insuper quis eius Discretus sit, & quem ex

ſuis regendo Monaſterio in ſuperiorem reliquerit.

4 Alium Codicem habeat etiam, in quo deſcribat Capituli Generalis decreta, viſitationum ordinationes, paſtorales epiſtolas, & ſi quid aliud ab Abbate Generali, aut Prouinciali emanatum fuerit, & publicè in eo Capitulo perlectum; Cumque ipſe ad aliud Monaſterium maiorum auctoritate profecturus erit, tùm præfatos codices, tùm alias publicas Monaſterij ſcripturas ſi quas habuerit ſuperiori Fideliter conſignet.

5 Grauiorum acta antequam vel publicentur, vel deſcribantur in Codice Vocalibus, aut in ipſo Capitulo, aut alibi ad ſuperioris arbitrium ipſe alta voce perlegat, vt omnes audiant, an ea ad Capitularium mentem exarata ſint; aliorum verò minoris momenti in Codicem non referat, quin priùs in aliquo papyri fruſtulo ritè non conceperit, ex quo ipſe aſſequetur, vt nulla in regiſtrandis eis litura vnquã apparebit.

6 Vrnas duas pro excipiendis Vocalium votis cum calculis albis, & nigris pari numero, & ad sufficientiam ipse in Cella sua, vel alibi diligenter custodiat, & cum opus fuerit maturè proferat, post negotium examinatum iterum in locum suum collocandas.

De Officio Portarij, & Supportarij.

1 PORtarius memor semper conditionum & virtutum, quas Sancta Regula in eo postulat, fidem & diligentiam in Portæ custodia adhibeat summam. Proximè portam cellulam habeat, in eaque quantùm fieri poterit, assiduè sit, vel orans, vel pium aliquem librum legens, vel aliquid manibus agens. Habeat in Cellula illa imagines Christi Crucifixi, Beatissimæ Virginis, & Sanctorum Benedicti, & Bernardi, aut saltem eorum aliquam, itemque preces ab exeuntibus, & introeuntibus flexis genibus fundendas perspicuis litteris scriptas, eodemque

loco cum ab obeundo Choro propter ministerium suum à superiore fuerit excusatus, officium Diuinum religiose persoluat.

2 Sit in eadem Cella semper charta, & atramentarium, itemque nomina omnium fratrum Monasterij in tabella descripta, in qua quisque egrediens defixa impage, sicut decretum est, in foramen nomini suo proximum significet inspicienti, vtrum sit in Monasterio nec ne; & curet, vt egredientes eam impagem figere, & ingredientes refigere non omittant.

3 Nullum fratrum sine necessitate in Cellula portæ, vel propè portam ipsam morari patiatur, & det operam vt in ijs locis præcipua quadam ratione pudor, modestia, religio, & silentium diligentissimè seruentur, & quos viderit contrafacere deferat ad superiorem. Curet item vt loca quæque portæ viciniora mundissima semper seruentur.

4 Panem habeat pauperibus erogandum ea copia, & pondere, quæ superior

perior constituerit, eumque à dispensatore accipiendum tempore opportuno in aliquo armariolo seruet, aut arcula. Pauperibus eleemosynam petentibus comiter, & benignè respondeat, eosque omni charitate, & humanitate prosequatur, & vt sciat quid eleemosynæ singulis sit erogaturus sæpè superiorem de numero, & qualitate ipsorum admoneat.

5 Portarius, & supportarius stent ambo semper ad portam, & altero eorum per Monasterium eunte non discedat alter à porta. Alternis hi obeant Capitulum tàm pro culpis accusandis, quàm ad conciones præscriptis diebus audiendas, eodemque modo in priore, aut posteriore mensa cibum alterne capiant, vel hora à superiore præscripta, ita videlicet, vt alter eorum portæ præsens sit semper.

6 Abhorreant ambo quàm maximè, declinentque à longis sæcularium colloquijs, & Supportarius vt plurimum nunciet per Monasterium, quæ nun-

nuncianda sunt. Si alter eorum tantùm ad portam sit, cum ei per Monasterium eundum erit, sumpta claue, portam relinquat obserata, nec clauem vnquam è sera pendere sinat; quod si discedens à porta alium constituerit in locum suum, clauem relinquat, doceatque substitutum quid dicto, factoue opus sit, vt pulsantibus possit satisfacere.

7 Portarius mane circiter ortum solis portam aperiat; vesperi autem postquam ad salutationem angelicam pulsatum fuerit, confestim occludat, idque diligenter pesulis obditis adhibitisque repagulis, quo facto ad meditationẽ se conferat, postquam claues in Dormitorio ad superioris portam appendat, & manè idoneo tempore à superiore ipso recipiat.

8 Si fortè porta statuto tempore clausa aperienda sit, consulat Portarius superiorem, qui re prudenter expensa quid agendum sit iubeat.

9 Quantum fieri poterit, & charitatis

tatis ratio patietur, pulsantibus per fenestellam portæ satisfaciat, dicto priùs *Benedicamus Domino*, idque potissimùm faciat, cum Mulier pulsabit, cum qua tamen, si necesse sit loqui, aperto ostio paucis absoluat, dimissis humi oculis.

10 Caueat summoperè ne cuiquam audaciùs, & asperiùs respondeat; sed eam modestiam, patientiam, & lenitatem ergà omnes adhibeat, quæ Religiosum deceant, habita conditionis cuiusque personæ ratione, vt omnibus prosit religioso exemplo.

11 Vt primùm aliquis extraneus fratrem aliquem ad colloquendum expetierit, superiorem adeat, & si is concesserit, fratrem expetitum accersat; quod tamen officij, quod in Choro celebratur, aut meridianæ quietis tempore minimè faciat, nisi magna necessitas vrgeat, aut personæ, cui satisfieri debet, maior dignitas postulet; Quod si quis eorum, qui disciplinæ nouitiali, vel in ipso Nouitiatu, vel in Professo-

rijs

rijs subsunt, requiratur, adeat Portarius, & moneat Magistrum vel Nouitiorum, vel nouiter Professorum.

12 Si quis Antistes, aut Vir magnæ dignitatis Monasterium ingreditur, curet Portarius quantùm poterit, vt aliquis sacerdos ei adsit, dum ad superiorem admonendum se confert: fratre autem alterius Monasterij Congregationis nostræ, vel etiam alterius Religionis adueniente, postulet ab eo, & accipiat litteras Obedientiales, & quàm primùm fratrem hospitalem admoneat, interim extraneæ Religionis fratrem in Portæ Cellulam introducat, in eaque si opus fuerit permissu superioris, eidem mensam apponat.

13 Litteras, munera, aut alia quæcumque, quæ ad quemuis fratrem afferuntur, superiori det, alij prætereà nemini, neque illi, ad quem diriguntur, & de ijs cuiquam vnquam vllum verbum faciat: itemque fratrum litteras, aut aliud & si minimum, nisi prorsùs sibi persuadeat, id dari per superio-

riorem licere, det, vel consignet; & si rogetur, vt aliquid fratribus, aut extraneis dicat, eodem modo faciat.

14 Missam Portarius, quæ diluculò prima celebratur in Monasterio, quotidiè audiat, & Supportarius secundam; die tamen festo, qui illorum Clericus est, ad maiorem missam se seruet, & cum alijs communicet.

15 Portario ægrotante, aut hebdomadario culinæ constituto; aut alia quauis occupatione distento, Supportarius in omnibus illius partes agat, eique, si opus sit, adiutor à Superiore detur.

De Officio Fratris Hospitalis.

1 CVi hospitum suscipiendorum cura demandata fuerit ad munus suum summa diligentia, charitateque fungendum omne studium adhibeat, memineritque se in hospitibus ipsi Christo, quem illi referunt, omninò deseruire. Curet itaque hospitalis

noster

noſter, vt hoſpitij cubicula omni tempore mundiſſima ſint, eiuſque feneſtras, cum opportunum fuerit, aperiat, & claudat. Habeat in libello vniuerſam hoſpitij ſupellectilem deſcriptam, eamque vt rem ſacram cautè cuſtodiat, & mundam conſeruet, & cum ab hoc officio abſoluendus erit, ſuperiori ſuo rationem de ea omni reddat.

2 Capſulam, ſeù aliud quidpiam claui firmandum habeat, in quo inſtrumenta omnia menſis apponenda cultros, fuſcinulas cochlearia, candelabra duo cum emunctorijs, bacile cum vrceolo, ſalina, & alia recondat, eaque omnia ita munda cōſeruet, vt quocumque tempore vſui apta eſſe valeant.

3 In hoſpitij cubiculo ſi comedendum erit præter menſam in medio inſtruendam abacus ſit mappula linea, coopertus ſuper quæ neceſſaria ad promptè ſeruiendum præparet, bacile ſcilicet cum vrceolo, & ſudariolo ad mundandas, abſtergendaſque manus,

lan-

lances, vaſa tùm vinaria, tùm aquaria ſcyphos vel vitreos, vel fictiles pro hoſpitum honeſtate, & ſimilia.

4 Antequam menſam inſtruat, conſulat Superiorem quot loca, & qui vocari ad veſcendum debeant, & indicto ſibi diſcumbendorum numero diſpenſatori, & Coquinæ miniſtris renunciato pro eorum ſingulis ſingulas mappulas, aliaque neceſſaria appoſitè præparet.

5 Congruo Refectionis tempore vina, & primos cibos deferre curet, & vocatis hoſpitibus buccale aquæ pro abluendis manibus ei, qui ex domeſticis præſidet, aperto capite conſignet, & dum Præſes cæteris aquam infundit, ipſe bacili ſuppoſito proluuium recipiat, alter verò, is ſcilicet, qui ſecundum locum obtinet inter domeſticos mantile porrigat, quibus peractis hoſpitalis accepto buccali à Præſide eidem primò, & alteri deindè, qui mappulam miniſtrauerat, aquam manibus infundat; & menſis benedictis bene-

dictio-

dictionem ipſe petat, breuemque recitet lectionem; Quod ſi liber aliquis legendus erit, legat is, cui Superior iniunxerit.

6 Refectione incœpta nunquam ex cænaculo recedat, & alios, quibus ſcilicet Superior iuſſerit, ad deferenda cibaria adhibeat. Si plures quatuor Conuiuæ fuerint, facto verbo cum Superiore, adiuuantem aliquem ſibi adiungat, & tàm ipſe, quàm iſte caueant diligenter, ne in miniſtrando, in inferendis, vel auferendis paropſidibus menſas, veſteſque tàm ſuas, quàm manducantium commaculent. Aperto capite ſint ſemper, & nihil, niſi interrogentur, omninò loquantur, hilares tamen vultus ſeruent, & maiori quâ poterunt vrbanitate ità accumbentibus miniſtrent, vt optimæ educationis ſibi faciant fidem.

7 Refectione peracta mantile, & cætera tùm ex menſa, tùm ex abaco remoueant, ſingulisque in locum ſuum reconditis, adhibita tùm Præſidi, tùm

hoſpitibus reuerentia, res proprias acturi abeant. Hoſpitalis diebus ieiuniorum, antequam hoſpitibus ſeruiat, mixtum ſumat, at ſi de ſerò comeſtum ſit, caueat ne præter ſolitam colationem aliquid ſine Superioris licentia comedat. Hyemis tempore tàm poſt cœnam, quàm poſt prandium ignem in ipſo hoſpitio hoſpitibus præparet, curetque, vt ad eum excitandum, & fouendum neceſſaria adſint.

8 Habeat in hoſpitio lectulos tres, aut quatuor, ſimplici quidem, ſed peculiari cultu ſtratos, itemque ſellulas, & matulas, ad quæ mundanda Donatorum fratrum, atque etiam Seruitorum vtatur opere. Hoſpitibus, ſi noſtrates fuerint, lintea nulla niſi fortè vno ex craſſiori tela ad ſtragula conſeruanda lectos non adhibeat, ſæcularibus tamen, aut alterius Ordinis Religioſis thoros more ſolito ſternat: curetque inſuper, vt in vnoquoque cubiculo, vt aliquæ, ſeù aliqua ſaltem Ieſu Chriſti, ſeù Beatæ Virginis, aut Sancti

ali-

alicuius pendeat imago, ſintque prætereà in vnoquoque illorum tabula, & ſcamna pro hoſpitum commoditate.

9 Hoſpitibus ſiue ex noſtris fuerint, ſiue alterius Religionis, qui pedibus itinerantur, lauari pedes non negligat, & cum ad id neceſſaria parauerit, Superiorem, vel eum, cui hoc charitatis officium iniunctum fuerit, ſedulò admoneat, eique, qua par eſt religioſitate inſeruiat, atque in humilitatis exemplum tàm ijs peditibus, quàm alijs equitibus, cum opus fuerit, tùm ocreas, tùm caligas, tùm calceos vel per ſe ipſum, vel per aliũ ſumma diligentia detrahi, purgari, & ſeruari curet, eiſdem mũda ſuo tempore hoſpitibus reddẽda.

De Officio Refectoriani.

REfectorianus ſit, cui Refectorij cura à Superiore commiſſa fuerit. Is ſupellectilium omnium ad huius rei vſum inuentarium habeat, quod frequenter perlegat, caueatque, ne ne-

gligentia sua ex illis aliquid deperdatur. Quotidie, si opus fuerit, vel bis saltem per hebdomadam Refectorium verrat, & mensas quoties parandæ erunt scopula primum, & panno deinde detrito; curetque ne siue in loci plano, siue alibi aliquid videntibus occurrat non politè, ornateque seruatum, non rectè dispositum.

2 Quotidie post Primæ officium, Refectorium ingressus fenestras omnes aperiat, & si quid in eo vel inordinatum, vel non planè mundum viderit, id suo loco reponat, vel purget, antequã diuinum officium Refectioni proximum iterum in Refectorium rediens mensas diligenter paret, crateras cautè lauet, salina abundè instauret, & cæteris omnibus ritè dispositis ostium claudat, clauemque pro tunc Dispensatori custodiendam consignet.

3 Mantilia manibus tergendis comparata, aliaque lintea Refectorio necessaria à Vestiarij custode accipiat, eaque semel saltem per hebdomadam, die

ſcilicet dominico, mutari curet, quorum ſi ante illum diem aliqua fortè nimis maculata fuerint, præſertim verò eorum, quæ ſuperiorum vſibus exponuntur, ea illicò auferat, & mundiora reponat.

4 Binas mappulas ſingulis ſemper apponat, quarum vna ſuper menſam more ſolito explicata, eidemque cultro, fuſcinula, & cochleari ſuperadditis, alteram complicatam caniſtro ſuper imponat. Collocet etiam ſuprà menſas intrà ſingulos binos accubituros ſingula ſalina, & hinc inde crateras inuerſas vnicuique ſcilicet propriam. Inter mappam, & mappam aſſiculos vinarijs vaſculis ſupponendos componat, addatque eorum ſingulis binos orbiculos ligneos ad operienda vaſa.

5 Curet autem, vbi lauantur manus, vt ſolum, malluuium, & labrum ſuppoſitum nitida, & pura ſint, vt mantilia ad tergendas manus è tigillo ſuſpenſa ſicca ſeruētur, vtque in malluuio nunquam indigentibus aqua deficiat.

Singulis diebus vtrasque post mensas Refectorium inuisat, atque, si opus fuerit, repurget; vt si fortè quis hospes in id introduci petat, nihil appareat non summæ monasticæ munditiei consonum, aut minus dignum.

6 Si hospites ex nostris in Monasterio sint, qui in Refectorio refici debeant, Refectorianus singula eorum vsibus necessaria, mappulas scilicet, cultros, furcillas, cochleare, crateres opportuno tempore prouideat, & linea quidem à Vestiarij custode petat, & reliqua ab ipso hospitali, eidem post hospitis discessum munda reddenda. Cum autem hospes in Refectorium comesturus ingreditur, eum ad proprium locum comitetur, eidemque sedem suam indicet, & assignet, idemque faciat si plures, vel etiam si sæculares fuerint, loca verò eis singulis assignabit ad Superioris, quem consulere debet, arbitrium.

De

De Officio Dispensatoris.

1 SVb Dispensatoris cura sint cibaria omnia, & annona quæque, eaque diligenter seruet, & cum opus fuerit, distribuat. Coquos singulis diebus admoneat quem cibum fratribus in quaque refectione parare debeant, idque ita maturè faciat, vt illi parandis satis temporis habeant. Cibaria ad victum iuxtà rationem sibi à Cellerario præscribendam distribuat., eumq; si quod cibi genus citiùs ne corrumpatur consumendum erit, consulat, & quod ille iniunxerit omninò faciat, sciatque se in eis, quæ ad eius officium pertinent, illi subditum esse, & sub illius imperio, nisi fortè Superior aliter aliquando disposuerit.

2 Nisi de Superioris mandato nec sibi ipsi, nec alijs communem cibum ne minimùm quidem immutet, quem cum apponit, partes quàm æquales faciat, nihil vni plus, minusue tribuens, nisi interdum Superior propter grauem ali-

quam causam secùs fieri præceperit.

3 Pulsato diuino officio, quod immediatè prandium antecedit, panes, & fructus, si fuerint, in Refectorio distribuat, panem quidem super singulas fratrum lances, & fructus in canistros imponens; cum verò singulis locis supradicta apposuerit, superiori mappula cooperiat omnia.

4 Coquos diligenter obseruet quã sedulò, quàm purè, & mundè in officijs suis versentur, & cum opus esse viderit, eos benignè admoneat, & liberaliter adiuuet, præcauens omninò, ne quæ fratribus vel parantur, vel coquuntur aliquo vitio insuauia fiant, nec satis habeat quod Coqui iuscula, cæteraque prægustent, sed hoc idem ipsemet facere omninò non negligat.

5 Caueat quàm diligenter ne annona sibi custodienda tradita corrumpatur, aut alio quouis modo pereat, quamobrem annonæ receptacula frequentius perlustret, curetque vt à sordibus omnibus quàm purissima, mun-

dissimaque seruentur, eaque obserata semper custodiat. Antequam porrò genus aliquod cibariorum penitùs consumptum sit, maturè Cellerarium commonefaciat, vt is alia comparanda curet.

6 Lucernas, quarum post festum S. Crucis Septembris vsus est, toto tempore asseruet, & cum opus erit, instauratas, paratasque singulas singulis mensis distribuat. Vas olearium, vnde quisque fratrum oleum sibi promat in vsum lucernæ, omnibus certo loco expositum ponat, scopas etiam nouas semper habeat petentibus, cum necessitas aduenerit, erogandas.

7 Aegrorum, senum, hospitum, & aliorum, qui aliqua re præter ordinem præcipua necessitate indigebunt, rationem dispensator, & onus habeat, sicut ei à Superiore vel nominatim, vel generatim præceptum fuerit, summamque in huiusmodi seruitio diligentiam & charitatem adhibeat, nec eis necessarium aliquid deesse omninò patiatur.

8 Re-

8 Reliquias mensæ fratrum conseruet sanctæ paupertatis memor tùm in fratrum, & domesticorum, tùm in pauperum vsum superioris arbitrio conferendas, tradatque Portario quę pauperibus eroganda sunt pondere, & mensura, itemque tempore à superiore definiendis.

De Officio Ministri Cellæ vinariæ.

1 MInistri Cellæ vinariæ partes sunt vinum omne Monasterij condere, asseruare, & dispensare, dolia vinaria, & reliqua eiusdem cellæ ita conditionata custodire, vt nihil omninò eorum negligatur, habeat propterea eorum omnium descriptum inuentarium. Det operam vt in ea Cella omni tempore cuncta sint munda, & ordinata, & si quid viderit, vnde, & vtiliùs, & ad vinum gubernandum magis idoneum reddi possit, superiorem admoneat.

2 * Vinariā Cellam obseratam semper

per habeat, & seruet clauem, eiusque fenestras, & spiramenta ad aerem vel arcendum, vel admittendum tempestiuè aut aperiat, aut claudat, vt quantum fieri poterit, sicca seruetur. Curet vt dolia optimè ordinata sint, & trabibus firmiter imposita, in altumque ex solo aliquantulum sublata vt omni ex parte contractari, viderique possint, & retineri, si qua parte ex ipsis vinum effluat.

3 Pro numero doliorum alueolos habeat, quibus profluentium ipsorum stillicidia excipiantur, eosque mundos seruet, vt stillatum vinum vsui possit esse. Habeat etiam infundibulum vnum aut plura, si opus sit, itemque stuppam, ceram, cultellum, terebellum, malleum, sifiunculam, radulam, quę videat, ne rubiginem contrahant, & demùm virgas ad explorandum quantum vini in dolijs sit, eaque omnia in commodo, & tuto loco seruet.

4 Ante tempus condiendi vini curet, vt omnia dolia firmissimis cingulis

cin-

cincta sint, & omni ex parte ad excipiendum vinum accommodata, prouideatque, vt vinum intùs, & foris ab omni putredine, & malo odore sincerum, integrumque seruetur. Dolia sæpè prospiciat, num aliqua profluant, & ne feruente musto circulus aliquis ex improuiso fortè sit fractus. Dolio cuique inscriptionem affigat ad significandum tùm quod genus vini contineat, tùm quàm mensuram vnumquodque capiat.

5 Videat diligenter nùm aliquod periculum vino immineat, idque præcipuè in magnis æstibus, & post magna tonitrua: quod si ipse huius rei experientia careat, amphorariorum opus adhibeat; cum autem seruandi vini nulla spes fuerit, Superiorem adeat, & aut vendendum, aut in aceto commutandum curet, caueatque quàm maximè, ne vinum corruptum, aut quod sanitati noxium sit, bibendum fratribus tradat.

6 Vinum fratribus ex dolio appo-

nat quod iusserit Superior, ex alio præterea nullo, quin priùs Superiorẽ commonefecerit, quod tempestiuè faciat, nec expectet quod dolium, ex quo bibitur, exinanitum sit, & cuique dolio diem, quo ex eo vinum hauriri cœptum fuerit, scriptum in cartula affigat. Non plus vini quàm opus sit in quamque refectionem hauriat; quod si tamen aliquantum supererit, id in vase probè clauso in Cellam vinariam referat, vel ad arbitrium Superioris in aceti dolium conijciat. Vinum fratribus apponendum eo aquæ temperamento diluat, quod Superior iusserit, illudque in quasque refectiones hauriat tẽpore diuini officij, quod refectionem antecedit: In vigilijs tamen æstiui temporis hauriat ad colationem paulò antequam ad eam pulsetur.

7 Vascula fratrum vinaria cuique apponenda toties aqua abluat, quoties in eis vinum infundendum erit, semelque minimùm in hebdomada asperioribus scopulis, vel alio modo diligenter

ex-

expurget. Vinum dispensaturus tantum cuique in vasculo infundat quantum cuique sufficit, pro diuersorum tamen necessitate, itá vt ei, qui minus vini indiget, vel minus ministret vasculum, vel saltem ad summum non impleat, à quibus vel naturæ necessitas, vel labor continuus maius poposcit vasculum, maius apponat, in qua tamen mensuræ diuersitate apponenda superiorem consulat, & quod sibi iunctum fuerit exequatur.

8 Inter bina vini vascula aquæ vasculum aliud semper collocet, curetque vt maximè æstiuo tempore aqua frigidior sit, & recenter exhausta, quod etiam in secundis mensis obseruabit. Post verò mẽsas quasque vini reliquias colligat ad præscriptum Superioris vel distribuendas, vel custodiendas, & aquæ reliquum aliquem in locum non tamen in Refectorij solum proijciat, vasculaque tandem omnia in locum suum reponat.

9 Nullo vnquam tempore, nisi

come-

comeſtione incœpta, cuiquam vinum apponat, nec niſi pro præſentibus maximè æſtiuis diebus vinum hauriat, & curet quantum fieri poterit, vt hauſtum prædicto tempore vinum, & fortè non diſtributum in aliquo ſemper frigido ſeruetur loco.

10 Abfuturus aliquando tempore diſtribuendi vini è Monaſterio Superiorem admoneat, & de illius conſenſu alium in locum ſuum idoneum ſufficiat. Dolio vnoquoque exhauſto eius curæ ſit, vt illud ſanum ſeruetur, in qua re magnam adhibeat diligentiam, & approbatos cuiuſque Regionis mores ſequatur.

De Officio Coqui.

1 FRatres ad miniſterium Coquinę deſtinati ſiuè Conuerſi fuerint, ſiuè Donati officio ſuo alternis menſibus, vel ad Superioris arbitrium fungantur; & antequam munus huiuſmodi ineant, omnium totius Culinæ inſtru-

ſtrumentorum & ſtatum, & numerum recognoſcant, videantque, num illa omnia cum Inuentario ſibi à Cellerario tradito concordent, & ſtudeant vt ſemper munda, & integra, quantum fieri poterit, ſeruentur, & cuſtodiantur.

2 Nullo tempore in Coquinam ingrediantur officio ſuo functuri ante Primæ officium in Choro abſolutum, aut non priùs miſſa, quæ diluculò prima celebranda eſt, audita, ad quam diebus ſibi præſcriptis communicare non negligant. Sit in Culinæ aliqua parte Oratoriolum Chriſti Crucifixi, Sacræ Virginis, vel Sanctiſſimorum Patrum Benedicti, & Bernardi imaginibus exornatum, in quo dum in Choro diuina officia celebrantur, ipſi deuotè, & religiosè preces ſuas perſoluere valeant.

3 Sit eis ſummæ curæ ſilentium; nec aliquid quidquam, quàm quod ad implendum, exequendumque officium ipſorum dici neceſſariò debet, loquantur, idque modeſta, ac ſubmiſſa voce fiat. Accipiant ij conſtitutis horis ci-

bos

bos parandos à Diſpenſatore, itemque quæ ijs condiendis neceſſaria erunt, eaque omnia in certo loco diligenter aſſeruet.

4 Antequam coquenda, & paranda in ollas, cacabos, pelues, & alia vaſa conijciant, ea diligentiſſimè lauent, ſtudeantque quàm maximè puritati, & politiei, & eſculenta, quæ pro qualitate ſua id requirunt, abluant, mundent, terraque, lapillis, & omni ſordiū adhærentium prauitate expurgent, ad eamque operam, quod ſatis ſit temporis, inſumant.

5 Cibos maturè, & antè eorum ſumendi horam parare curent, qui tamen calidi ſumendi ſunt, vel qui breui mora, & faciliter corrumpuntur, citiùs quam par eſt, non parentur; ſtudeantque propterea Coqui, vt qua hora vel prandendum, vel cœnandum ſit, certò ſcire. Alterum pulmentum ſemper, antequam tintinnabulo Refectorij ſignum detur, menſis apponant, eoque ſigno dato nihil in Refectorio inferant, niſi

post signum inchoandæ refectionis à Superiore dandum.

6 Ollas, lebetes, & cætera vasa siuè fictilia sint, siuè ænea placidè, cauteque tractent, ne per ipsorum negligentiam frangantur, aut absumantur. Despument, quæ coquuntur, cum opus est, & cum extrà modum erumpit ebullitio, ne ius effundatur, eam reprimant non flatu quidem, sed vel subductione ignis, aut maioris cochlearis immissione.

7 In condiendis cibis ita modum adhibeant, vt nec parcè, nec largè se gerant memores equidem sanctæ paupertatis, sed cauti ne quæ fratribus parantur vel insalubria stomachis fiant, aut palato ingrata. Ad mensuram itaque omnia parent, & Dispensatori obtemperent, præsertim verò in huiusmodi condimento adhibendo: Quod si Dispensator ipse velit cibos, & pulmenta condire, fas sit illi, & Coqui ex hoc non grauentur; Caueant tamen tàm Dispensator, quàm Coqui ne contrà

præ-

præſcriptum Conſtitutionis cibos condiant.

8 Salem inijciant moderatè, & intrà potiùs quàm extrà modum præſertim initio, vt neceſſe ſit potiùs aliquantulum addi denuò, quàm immodicæ ſalituræ periculum adeatur, cum ſal addi facilè poſſit, detrahi verò non itẽ. Explorent propterea aliquantò ante refectionis tempus prægustu cibos omnes, & cum ex olla, aut alio vaſe, ſeù iuris, ſeù cibi deguſtandorum aliquantulum detraxerint, quod fortè ex eis ſupererit, non inferant iterùm, ſed proijciant.

9 Nullum alium omninò cibum, ab alio quoquam in cuiuſquam gratiã aut ipſi parent, aut parari ſinant, niſi aliter Superior nominatim iuſſerit, nec in culina edant, aut alios edere patiantur, niſi fortè ſeruitores, aut alios de Superioris licentia.

10 Fratrum menſis alternis diebus miniſtrent, & cum miniſtraturi fuerint mixtum accipiant. Aquam ad fratrum

tonſuras, lauandoſque tùm hoſpitum, tùm aliorum pedes tàm in Sabbatis, quàm in feria quinta Cęnæ Domini calefieri curent. Vaſa omnia maiora vſui culinæ adhibita quotidie lauent, eſcaria verò, quæ Fratribus in Refectorio expoſita fuere, alternis diebus, niſi aliter illis ob Clericorum minorem numerum, aut alia rationabili de cauſa, quotidie lauanda iniunxerit.

De officio eius, qui ab expenſis eſt.

1 QVi expendendæ pecuniæ, & quarumcumque rerum, quæ in ſingulos dies neceſſariæ ſunt, emendarum miniſter erit, memor ſemper ſit, pecuniam ſibi traditam Chriſti pauperum eſſe; quare benè, & prudenter, ſummaque diligentia adhibita eam expendat.

2 In rebus, quas quotidie mercaturus eſt, ad Cellerarij præſcriptum agat omnia, nec in cuiuſquam gratiam quidquam emat, quod Superior nominatim

natim non iusserit. Emenda autem maturè emat, & in Monasterium ferat, statimque Cellerario, aut Dispensario, si Cellerarius ita iusserit, tradat, vt in tempore parari possint.

3 Studeat cibaria integra, & sincera emere, & minori pretio quantum licebit. Post refectionem quamque quærat ex Cellerario quid sibi comparandum sit in sequentem diem, vel refectionem, semelque in die acceptæ, & expensæ pecuniæ Cellerario reddat rationem.

4 Non exeat de Monasterio, nisi vel à Superiore, vel à Cellerario mittatur, & exiturus semper Cellerarium admoneat, paratus si quid ei ab eodem iniunctum fuerit obedire.

5 Si quis fratrum ei mandet, vt quidpiam faciat, aut dicat extra Monasterium Superiorem admoneat, & id demùm faciat, aut dicat, quod is iusserit, eodemq;modo cũ aliquid ab extraneis mandatum ad aliquem fratrem acceperit, rem totam Superiori significet,

& ad illius arbitrium acceptum mandatum fratri vel exponat, vel prorsùs reticeat.

6 Literas, & omnia alia, quæ fortè in Monasterium ferenda acceperit ad quemcumque siue fratrem, siue alium, nisi superiori, nemini tradat, nec cuiquam de ijs verbum faciat, aut vllo pacto demonstret, nisi aliter Superior iusserit.

7 Det operam vt omnibus, cum quibus versabitur, profit honestis moribus, & religioso exemplo, iurgijs, rixis, altercationibus, atque ipsis facetè dictis, & omni contumelioso, aut aculeato verbo abstineat, nec quemquam hominum etsi abiectum, molestia afficiat; denique in omni re, verbo, & facto prudentiam, & modestiam religionis plenam adhibeat, in qua multum præsidij reperiet ad ea, quæ iure debita per iniuriam denegantur, repetenda, & obtinenda.

De officio Bibliothecarij.

1 BIbliothecarius in vnoquoque Monasterio à Superiore deputetur, qui linguam latinam optimè calleat, sitque summæ tùm diligentiæ, tùm fidelitatis. Is apud se Bibliothecæ clauem semper seruet, nec eam alicui remittat, nisi fortè abesse à Monasterio iussus fuerit post longum tempus reuersurus, & tunc eam alteri assignet consulto tamen priùs Superiore.

2 Summam curam adhibeat, ne Bibliothecæ lacunaria, seu fornices pluuiæ nec minimum corrumpant, aut vitient; visitet propterea sæpe tectum, cui Bibliotheca subiacet, aut certè visitanda non negligat.

3 Bibliothecam sæpe euerrat, & saltem vnoquoque mense, idque facturus aqua prius pauimentum leuiter aspergat, ne puluis excitetur, quo libri & librorum loculamenta inficiantur: antequam verò scopas adhibeat, mun-

det ab araneis parietum angulos & superiorem cellæ partem: quoties verò Bibliothecam scopis expurgauerit, toties vel detrito panno, vel pilosis animaliũ caudulis, tàm libros omnes, quã loculos, & alia in eodem loco exposita à puluere expurget.

4 Bis saltem in anno sigillatim codices omnes è suis pluteis per ordinem extrahat, & aliquo aperto loco puluerem ab eis excutiat, videatque, vt integri tàm intrinsecùs, quàm forinsecùs semper conseruentur.

5 Codices ordinatè collocet, materiarum, quas continent, ordine seruato, theologiam scholasticam tractantes inter Theologos scholasticos, morales inter morales, Patres inter Patres, &c. cuique librorum generi diuersos pluteos assignando.

6 Curet, vt in aliqua Bibliothecæ commodiori parte mensa sit cum rebus ad scribendum necessarijs, vno scilicet saltem atramentario, plurimis calamis, papyro, pulueraria theca, graphiario

 gla-

gladiolo,& cęteris huiuſmodi pro ſcriptorum commoditate: ibidemque liber, in quo omnium librorum index habeatur alphabetico ordine digeſtus, vt ſi quis aliquem illorum quæſierit, poſsit ex eo, in quo pluteo ſit, inuenire.

7 Præter iam dictum, alium habeat librum, inuentarium, appellandum; librorumque index in eo tali ordine conſcriptus ſit, vt ordinem diſpoſitorum librorum, & eorumdem pluteos indicet, & repræſentet. Primo loco ſacros, & ad Sacram Scripturam pertinentes contineat, deinde Patres, poſtea Theologos ſcholaſticos, quos ſequantur morales, tùm aliarum facultatum cæteros, addito cuique illorum emptoris nomine,& tempore, quo emptus fuerit.

8 Tertium item librum habeat, in quo libri, quos tàm Monachi ex Bibliotheca habent, quam fortè ſæculares de ſuperioris licentia ex eadem Bibliotheca commodato acceperint, notentur; in eoque nominis, & cognominis

nis illius,cui libri commodati sunt, itēque anni, & diei, quibus à Bibliotheca liber extractus est, expressa mentio fiat. Scribatur præterea in eodem libro, cùm commodatos codices quisque restituerit.

9 Libros,siue ex communi Bibliotheca siue ex propria cella, & ad vsum particularis alicuius concessos nullus, nec Bibliothecarius ipse extra Monasterium vel transportet; vel det commodatò, nisi priùs Superioris obtenta licentia, qui secùs fecerit, Excommunicationis latæ sententię & Abbati Generali, vel Prouinciali reseruatæ pœnam incurrat: in quam pœnam incurrant etiam Superiores, si libros quoscumque alienauerint, vel vendiderint.

10 In cuiusque libri prima pagina scribat Bibliothecarius hæc verba. *Ex libris Monasterij N.* quod etiam fiat, etiamsi liber ad alicuius particularis vsū vel sęcularium liberalitate, vel piorum eleemosinis comparatus fuerit: quo casu scribatur in eiusdem prima pagina sic.

ſic. *Ex libris Monaſterij N. ad vſum Domni N.* Et poſt huius obitum libri huiuſmodi illius Monaſterij ſint, & cenſeantur, in quo reſpectiuè tali Monacho donati fuerint, vel quocumque titulo empti.

11 Cuiuſque minoris Monaſterij Superior ſaltem ſex aureos in emendis libris quotannis inſumat; in maioribus verò Monaſterijs, & præſertim in his quæ Prouinciarum capita ſunt, non minus quam duodecim ſimilia ſcuta eadem in re impendantur.

FINIS.

Index Officiorum in hoc libro descriptorum.

Correctio regularum Officialium à Capitulo Generali 1699. approbata.

De Abbate Generali.

OMNES numeri hujus capitis, dempto 1. & 2. correcti fuerunt à Capitulo Generali proùt jacent in Constitutionibus ultimò impressis cap. 2.

De officio Vicarii Generalis.

A Primo num. expungenda sunt verba illa *ex vocatorum numero pro suo arbitrio electus* Itemque sunt alia demenda in fine dicti numeri circa benedictionem accipiendam.

Ex num. 8. ab initio usquè ad ly *prosequatur* debent expungi omnia. Num. 9. prorsùs tollendus.

De officio Consultorum.

NUm. 9. & 10. observari debent proùt describitur in Constitutionibus ultimò impressis.

De officio Visitatoris provincialis.

NUm. 19. est expungendus.

De officio Superiorum localium.

NUm. 13. redundat cum idem prescribatur in num. 24. Ex eodem num. 24. delenda sunt verba illa *in quibus Sacræ Theologiæ studia non sunt*.

De officio Supprioris.

NUm. 7. & 9. observandi sunt juxta Constitutiones cap. 65. n. 4. 5.

Num. 17. Quod ad cujus præcedentiam attinet, locum is immediatè post Superiorem suum habeat; ubi verò Abbas titularis aderit, Supprior post hunc stet, & sedeat, nisi quando ipse absente Priore fungitur officio Prioris. In alienis tamen monasteriis præcedentiam nullam habeat, sed suæ professionis servet locum.

De officio Secretarii monasterii.

DElenda sunt verba posita num. 3. circa Discretos.

De

De officio Dispensatoris.

NUm.6. est omninò superfluus prçter quatuor primas lineas, quæ inserendæ sunt in fine numeri primi de Refectoriano. Reliqua satis abundè reperiuntur in regulis de officio Cellerarii.

Num. 7. prorsùs superfluus cum hæc omnia præstari debeant ab Infirmario proùt de eodem num. 1.

De officio ejus, qui ab expensis est.

A Num.4. demenda sunt verba apposita, scilicet, *vel à Cellerario.*

De officio Bibliothecarij.

NUm. 9. fuit approbatus usquè ad illa verba nisi prius Superioris obtenta licentia, cætera delenda.

Num. 10. In cujusque libri prima pagina scribat Bibliothecarius hæc verba. Ex libris monasterii N. reliqua demenda.

Correctio formæ visitationis à Capitulo Generali 1699. approbata.

CAP. I.

NUm. 4. correctus fuit ad formam Constitutionum de Visitatoribus provincialibus num. 3.4.

Num. 6. superfluus est.

Num. 8. approbatus fuit usquè ad illa verba. Licentiæ ab ipso Superiore petantur, & concedantur. Reliqua expungenda sunt.

CAP. VI.

COEmeterium, in fine hujus tituli addendum est. Quæ omnia obeant, & præstent Visitatores tùm generales, tùm provincialis in actu visitationis.

CAP. VII.

INterrogatio an in maioribus monasteriis hebdomadarios coquinæ constitui negligat &c. obliteranda est.